


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 72

Randnoten
von Leibniz

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

vgl. Schmid, de atheismo
radicando, Argentor. Vandeli-
corum 1669, S. 131


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [2] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

THEOPHILI SPIZELII
ELEVATIO

RELATIONIS MONTEZINIANÆ


DE REPERTIS IN AMERICA TRIBUBUS ISRAELITICIS;

ET DISCUSSIO
ARGUMENTORUM
PRO ORIGINE GENTIUM AMERICANARUM ISRAELITICA
A
MENASSE BEN ISRAEL
IN מקוה ישראל SEU SPE
ISRAELIS
CONQUISITORUM.


CUM CELEBERRIMI VIRI
JOHANNIS BUXTORFII
DE JUDAICO ISTO CONATU AD
THEOPHILUM SPIZELIUM
EPISTOLA.

BASILEÆ
Apud JOANNEM KÖNIG, 1661.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [6] - -
PUBLIC DOMAIN



SAPIENTISSIMIS
ORBIS ERUDITI ATLANTIBUS,
ATQUE FULGENTISSIMIS
CAELI LITERARII SIDERIBUS,

JOHANNI BUXTORFIO
ET
JO. HENRICO HOTTINGERO,
VETUSTISS. ACADD. BASILEENS.
ATQVE HEIDELBERGENS.
PALLADIIS,

ORBISQUE UNIVERSI MIRACULIS,
AUGUSTA OMNIA

THEOPHILUS SPIZELIUS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [7] - -

PUBLIC DOMAIN

EPISTOLA

SI nobiliſsimũ Muſarum veſtrarum Sacrarium perrumpo irreverentius, ſi ſplendidiſſimum Celebritatis tantæ ſolium accedo confidentius, ſi curas etiam concatenatas, & quotidianas pro Rei Literariæ incremento excubias, immodeſtius interpello, ſi immortali deniq; Nominum atq; Luminum veſtrorum ſplẽdore, ſchedis hiſce obſcuris lucem audacius concilio; Ignoſcite HEROES INCOMPARABILES, Homini, ſtupẽdo veſtro favore hactenus tantopere ſublevato, infinitis benevolentiæ tantæ documentis recreato, eoque duntaxat nomine fortunato, quod Virtutes veſtras in omni genere ſummas, hactenus penitius introſpicere, introſpectas æſtimare, æſtimatas deniq; publicè nunc celebrare didicerit.

Non

Non immensorum quidē meritorum aut enconiorum vestrorum præconem nuncago, nec prolixiori verborum ambitu celebro illustria illa ac quovis ære perenniora Ingenii vestri monumenta, cunctis profecto Ægyptiorū ſtructuris, aut prodigiosis quibusque Orbis miraculis, ab imbre edace & impotente Aquilone jam olim deletis, longissimis anteponenda parasangis.

Facile vobis, VIRI UNDIQUAQUE MAGNI, in memoriam revocabitis sermonum non ita pridem vobiscum habitorum materiam, atque literarum hactenus ad me perscriptarum argumentum, publico hoc alloquio paulo altius repetendum:

Amstelodamum ante annos aliquot advolavit Mercurius quidam

dam Transalpinus, & inopino nuncio, de repertis inter Americanos agminibus Israeliticis, inenarrabilibus Synagogam perfudit lætitiis. Ipse cultus Hebraici Antistes, MENASSE BEN ISRAEL (oblato scilicet exoptato adeò, ac diu multumque desiderato futuræ liberationis anteambulone,) totus propemodum in gaudia solutus, neutiquam illa intra angustos Synagogæ Amstelodamensis terminos continenda; sed peculiari quasi diplomate reliquis per universum Orbem dispersis contribulibus annuncianda judicavit.

Maxima eruditorum contentione tunc ventilatum fuerat, & Animos non minus quam calamos Summorum Virorum occupaverat, intricatum illud, satisque vexatum, de origine Gentium Ameri

mericanarum problema. Quod itaque tanto hactenus labore investigatum, tot diversissimarum sententiarum Fautoribus disputatum, nec ullis sive Hispanorum sive Batavorũ expeditionib. indagatum fuerat, ab ANTONIO quodam MONTEZINO Religionis Judaicæ sectatore tandẽ exploratum credidit MENASSE, primas videlicet in Americam colonias, ductas fuisse ab ISRAELITIS. Postquam verò maximo molimine, non minus Montezinianæ Relationi, quam prodigiosæ huic de origine Gentium Americanarum Israeliticâ opinioni, applausum conciliare laborasset; non omninò nullos Paradoxi hujus reperit adstipulatores. Adeò verò inepta, adeò insulsa, & ab omni veritatis etiam specie aliena, mihi statim apparuit illa

sententia; ut instituto paulo accuratiori examine, ejusdem relegationem, ultra Montes Cordelleras & fluviũ Maragnon, (unde provenit,) fuerim meditatus. Non fatuos umbratilis gloriolæ igniculos insector, nec longè lateque diffusam Virii istius famam, aut raram in illa Gente eruditionem, proscindere constitui; Sed nec omnium promiscuè placita adorare, vel haud obscuris Orbis eruditi luminibus, densissimas tenebras illustrare animus est. Me equidẽ non latet, quantum MENASSI, à summis quibusque Viris tribuatur vel eo solum nomine, quod singulari modestiâ, & laudabili scripturas V. T. explicandi studio præditus, communibus illorum suffragiis, pulcherrimum illud elogiũ, (quo *Mosen Majemonidem* olim ornavit

vit *Joſ. Scaliger*) reportaverit: *Illum ſcil. inter Judæos ineptire deſiiſſe.* Optandum autem eſſet, ut illum ſemper retinuiſſet Animum, quem eò uſq; ſibi fuiſſe tradit מקוה ישראל f. xv. vid. *nil niſi ſolida & infallibilia tractaſſet*, nec ſe ad materiam illam obſcuram & incertam induci paſſus fuiſſet, aut intempeſtivo ſuis placendi deſiderio, fabularum illarū Patronum agere cōſtituiſſet. Sed nec Judæi, (Religionis ſuæ fundamentis, veluti Syſiphi ſaxo, aut Ixionis rotis, pertinaciter inhærentis, ac hujuſmodi commentis captivitatis ſuæ moleſtias fallentis,) conatus, tantopere vituperandi ſunt; quam illorum fortè, qui ſalvifica edocti dogmata, anilia hæc figmenta, non probant ſolùm, laudant atque admirantur; verum aliorum etiam applauſum *monu-*

mentis publicis provocare minimè verentur, adeò ut ipse MENASSE Epistolâ quâdam ad *P. Felgenhaverum* exarata, non Christianorum solum suffragiis valde superbiat, verum certissimum etiam instantis liberationis indicium exinde desumat; Epistolæ illius verba, quum ad manus sint, exhibenda esse duximus:

De Tertio isto (scribit Menasse,) *Adventus Messiæ signo, quod ais, nempe de hâc Regni Israelis per totum Terrarũ Orbem prædicatione, id mihi non solum verisimile videtur, sed & tale quid jam in Lucem prorumpere, & effectum sortiri haud obscurè videmus: quin & Prædicatorum istorum haud contemnendus numerus, mihi ipsi per literas innotuit, qui ex diversis Mundi partibus, ad consolandum Sionem prodierunt, inter alios*

lios Viros Nobilitate & doctrina insignes, qui ad manum jam sunt, en ex Silesia habemus Abrahamū à Frankenberg: ex Borussia Joh. Mochingerum: ex Gallia Autorem libelli Gallico Idiomate editi, Du rappel des Juifs. Ex Angliâ quos non? Nuper auctoritate publica Nathanael Homesius SS. Th. D. Librum in fol. edidit Anglico idiomate, de hac ipsa materia, & D. Henricus Jesse, nobis librum Belgico idiomate de Gloria Jehudæ & Israelis publicè dedicavit. Plures allegare possem, qui instar nubeculæ istius I. Reg. XVIII. (quam Elias adscendentem de mari vidit, & subito in tantam molem excrevit ut totum Cæli expansum contegeret,) indies numero & virtute accrescunt, donec tandem totum Terrarum ambitum, prædicatione sua sint completuri. Hactenus Epistola Menassis. Et

ille

ille ipſe, ad quem eandem ablegavit, *Paulus* quidam *Felgenhavverus*, Bono (ut appellat) Nuncio, Populo Iſraelitico de inſtanti Meſſiæ adventu allato, & Menaſſi ipſi conſecrato, futuræ (ſcilicet) reſtitutionis Judaicæ præconem agere nullatenus dubitavit. Quâ fronte verò ab ipſo Menaſſe exceptum fuerit Nuncium illud, ex iisdem literis eucharisticis obſcurum minime eſt; *Vtinam* (reponit Menaſſe,) *tam verum eſſet, quam Bonum nuncium tuum, tibiq; tàm credere poſſem, quam vellem!* & paulo ante: *modo præ rei magnitudine verbis tuis fides conſtare poßit.* Qualem inſuper applauſum Monteziniana illa Relatio, à Menaſſe ben Iſraël tractatu peculiari confirmata, apud quoſdam obtinuerit, Angli cujuſdam THOMÆ FVLLERI, verbis, (ex

Angli-

Anglicano sermone conversis, exponemus. Ille enim in visione Palestinæ, ex monte Pisgah Lib. V. sub. vis. terræ Canan. ab Ezechiele descriptæ cap. II. pag. 193. hunc in modum differit.

Et nuper Judaicus Rabbinus Amstelodamensis, (in margine *M. ben Israel,* in libro suo quem nuncupavit Spem Israelis) *narravit nobis, quod ultra montes Cordilleras & fluvium Maragnon, repertus sit populus bene barbatus, vestituq; splẽdido, qui seorsim degat & à reliquis Indianis Religione differat: quem ille populum vult haberi pro decem Israëlis Tribubus uno comprehensis corpore. Cujus argumenta tantarum apud aliquos sunt virium,* (*quanquam eorum alia ante hac fuerit opinio,*) *ut concedant judicio suo in ipsius sententiam, nonnullis tamen illa authoris opinatio habetur*

tur instar Maris mortui, nec tamen quicquam opponunt, quia sunt tertio loco nonnulli, qui applaudunt isti relationi, tanquam liberæ à refutatione ob loci videlicet distantiam. Me quod attinet, apparet mihi ista narratio velut crepusculum, quod num sit allaturum lucem matutinam, secuturaq; luce pleniori se commendaturum; aut num sit instar crepusculi vespertini futurum: ita ut obscuretur paulatim silentio, & plenis tenebris ingruentibus, tempus aperiet. Cum undecim Tribus (ita mihi illas liceat appellare in radice consideratas,) nuncium adferebant, unam perditam (Josephum) esse repertam, Jacobi fluctuabat animus, nec dictis credebat, usque dum clariori evidentia esset convictus. Quo magis mihi permittendum, ut suspendam judicium meum, cum aliquis nuncium apportat de decem

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [18] - -
PUBLIC DOMAIN

cem Tribubus deperditis, quæ imo sint repertæ momento, usque dum plus probationis acceperimus. Sane clanculum subridemus, auditis probabilibus ejusmodi susurris: sed cum certiores erimus hâc de re redditi, ora nostra complebunturrisu (nõ verò Sarræ risu diffidentis, sed Abrahami desiderantis, lætantis, credentis,) cum ista authoris relatio aliorum testimoniis comprobabitur. Et profectò meretur hic laboris sui præmiũ, qui clarum tantæ rei documentum attulerit, de revelata posteritate decem Tribuum: utpote qui futurus est felix anteambulo & promotor futuræ conversionis, &c.

Cum itaque *Montezini* illius commenta pariter ac MENASSIS BEN ISRAEL argumenta, tantarum apud aliquos virium extiterint, talesque Animorum motus & hæc

& illa

& illa insecuti fuerint, de utrisque nunc prolixius sum disquisiturus, horum infirmitatem, non minus quam illorum falsitatem ostensurus, & Judaicas illas maculas, aqua, non aceto, nec felle adeò quam melle diluturus.

Hos qualescunque conatus, cum primo omnium VOBIS, utpote Numinibus quibusdam Literariis aperuissem, non consilio solum, verum etiam auxilio vestro eosdem promovere neutiquam addubitastis. Nunquam profecto arduam hanc provinciam in me suscepissem, ni de benignissimo Tantorum Virorũ patrocinio certior fuissem redditus. Si infinita nunc favoris vestri documenta, & stupenda prorsus benevolentiæ tantæ monumenta ritè celebrare vellem, (vellem autem si possem!)

angu-

anguſtos certè Nuncupatoriæ hujus Epiſtolæ terminos longiſſimè excederem. Inſignis Tua MAGNE BUXTORFI, nihiloque cæteris plane incōparabilibus Virtutibus obſcurior HUMANITAS, minimè acquievit vel in benigniori ad ſecretiores Tuas Muſas, atq; inſtructiſſimas illas publicas pariter ac privatas Animorum Pharmacopœas admiſſione; vel ΑΚΡΙΒΕΣΤΑΤΩ Tuo de prodigioſis iſtis conatibus Ebraicis judicio; vel conciliato ZVVINGERI ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΥ favore: liberaliter inſuper exhibuit, promptè ſuppeditavit, imò ſponte etiam (rarâ ſeculi virtute,) obtulit nobiliſſima Tua, uſibusque publicis nondum conſecrata cimelia. Amicâ hâc voce ſemper excipiebas accedentem, & dimittebas abeuntem: *Quicquid vel à me ſupellectile mea*

)( )(*libra-*

libraria proficiſci poterit, ſuppeditabo lubentiſſimè.

Tu verò HOTTINGERE FAMIGERATISSIME, ſicuti Natali ſolo, ſuaviſſimo amoris nexu, atq; ſplendidiſſimis in Rem Literariam meritis; ita certè nobiliſſimis favoris Tui documentis MAGNUM BUXTORFIUM proximè attingis. Tui Nominis Amplitudinem, hactenus in Orbe celebratam, ſæpius tantopere ſum admiratus, ut inenarrabili propemodum TE videndi atque compellandi deſiderio flagraverim. Voti tandem hujus divina favente clementia factus compos, timidius primò Benevolentiæ Tuæ fores pulſabam, quas tamen ſingularis illa (quâ polles in tanto faſtigio,) Humanitas, non ocyus ſolum aperuit, verum per eaſdem etiam, ad abſtruſiores Tuas Muſas aditum conceſſit. Læto

triumpho pectore, quoties amœniſſimæ iſtius Lucis, diei fauſtiſſimæ, atque immenſorum abſenti non minus quam præſenti hactenus exhibitorum beneficiorum jucundam recolo memoriam.

VOBIS itaque VIRI INCOMPARABILES, leviſſimos hoſce conatus, non argumenti (quanquam nec illud à vobis prorſus alienum credam,) ſed ſingularis veſtræ benevolentiæ fiducia conſecro, ſuſcipite illos fronte eâdem, quâ me ipſum, nuper vos accedentem eſtis dignati, copioſiori favoris veſtri recreate Scatebra; Reiqúe Literariæ molem, Atlantum fortiſſimorum inſtar porrò ſuſtentate, non vertice ſolùm ſummum in Orbe Erudito faſtigium attigiſtis; Verum inter ipſa Sidera Literaria, locum etiam olim obtinuiſtis.

Dab. Baſ. Idib. Mart.
CIↃ IↃC LXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [23] - -
PUBLIC DOMAIN

JOHANNES BUXTORFIUS
THEOPHILO SPIZELIO
S.P.

(Tit.) Amice honorande,

TRactatum tuum, quo Relationem Montezinianam, de repertis in America Decem Tribubus Israelis, per tot jam secula deperditis, ejusdemq; à Menasse ben Israel susceptam confirmationem, expendis & examinas, lubens vidi & legi. Fateor, me nec relationem illam Antonÿ Montezini, neque etiam Menassis ben Israel libellum, quem Spem Israelis vocat, vidisse priùs, quam tu mihi eos communicasses. Relationem historicam Montezini ejusdem farinæ deprehendo cum aliis, quæ inter Judæos sparguntur, de superstitibus adhuc Decem Tribubus deperditis, & Regno Judæorum. Hæc, ut in hac diuturna sua captivitate, & desperato Messiæ sui adventu anxiè quærunt, ita non inventa, vel anilia ipsi sibi de iis somnia fingunt, vel ab aliis, quâ fide quâ perfidiâ, efficta, avidè arripiunt, & sæci populi sui propinant. Agnovit hoc ipse R. Jehudah Akrisch in libello suo קול המבשר Vox Evangelistæ nominato, in quo aliquot hujusmodi relationes, unà cum illorum authoribus, mendacij palàm redarguit, diserte scribens illas excogitatas esse לחזק ברכים כושלות ולאמץ לבות נרכאים ad confirmanda genua titubantia, & corda contrita corrobo-

roborranda, h.e. ac
in spe venturi Mess
privitate. Imò ace
hujusmodi fabulis
Judæos, & eorum
dimonium omnin
ptum proficiscens,
rit de Regno Jud
norum, quibus ve
judicârit, quòd a
תובו h.e. animo
loquutum esse, &
muele Schullam
patellâ operculu
veritas consista
dæus perfidus!
da lectione & re
ne non prorsus ca
unica Epistola de
peratoris, quam
angelia Judaica
modi portenta c
ram, & ad risu
dendum excogi
ipsos sibi legend
Quamvis au
majori artificio
nata & instructa;

roboranda, h.e. ad sustentandos animos plebis suæ in spe venturi Messiæ, & liberationis ex præsenti captivitate. Imò acerbè in quosdam invehitur, quòd hujusmodi fabulis publicatis, ludibrio Christianorũ Judæos, & eorum fidem exponant. Ne tamen vadimonium omnino deserat, refert quid ipse in Aegyptum proficiscens, à vetulo quodam Turca audiverit de Regno Judæorum in India & Terra Abyssinorum, quibus velideò majorem fidem adhibendam judicârit, quòd animadverterit, illum prorsus לפי תומו h.e. animo simplici, ingenuo, & sine ullo fuco loquutum esse, & eadem postea Alexandriæ, à R. Samuele Schullam confirmata sibi fuerint. Dignum sc. patellâ operculum! & duo fidi testes, in quorum ore veritas consistat! Vafer & versipellis Turca, & Judæus perfidus! Quæ fides illis sit adhibenda, ex nuda lectione & recitatione illius historiæ cuivis mente non prorsus capto, vel primo aspectu liquet. Vel unica Epistola de Terra Prestegani, Abyssinorum Imperatoris, quam etiam ibi producit, quo loco hæc Evangelia Judaica sint habenda, docet; in qua ejusmodi portenta continentur, quæ omnem fidem superant, & ad risum potius movendum, quàm ad credendum, excogitata esse, manifestò apparet, Libellos ipsos tibi legendos mitto, & judicio tuo submitto.

Quamvis autem hujus Montezini relatio, nec majori artificio sit contexta, nec speciosè magis ornata & instructa; quia tamen Magni Nominis Rab-

 bino,

bino, Menaßi ben Iſrael, qui nunc ivit ad infima terræ, in ea confirmandâ, & variis argumentis conſtabiliendâ, ingenium ſuum exerere, atque ut ex Americanis Iſraelitas faciat, omnem movere lapidẽ, placuit: quia etiam non ſine ſtupore certè video, quoſdam è Chriſtianis, his Judæorum deliriis ſi non penitùs credere, ſaltem non omnem illis fidem derogare, ſed hæſitabundos quaſi & animi dubios ad illa obhærere; omninò pretium operæ Te feciſſe exiſtimo, quòd aliquid temporis & otii his Montezinianis impoſteris detegendis & technis Menaßianis refellendis, impendere voluiſti; benè etiam te facturum & gratam atque utilem rem præſtiturum cenſeo, ſi hæc tua μελετήματα juris publici facias, atque cum pluribus communices. Methodo uſus es convenienti; Viſionem ſeu Somnium Montezini primò proponendo; exinde Tuam Διάκρισιν ſubjungendo, & aliquot νοθείας illius ſigna producendo; tertiò Menaßis ben Iſraelis, qui SPEM ISRAELIS arundineo hoc baculo ſuffulcire eſt anniſus, argumenta refutando. Et ſingula video accuratè, eruditè & ſolidè â te eſſe pertractata; ut nemo nõ viſurus ſit, מקוה ישראל Menaßis, eſſe מקוה Telam teneram & fragilem, ex aranearum filis contextam ut rectè de illa dixeris illud Jobi; בית עכביש מבטחו Domus Araneæ eſt Spes ejus. Utribi de egregio hoc ingenii & eruditionis tuæ fœtu animitùs gratulor, quo & de egregio publico optimè mereberis, & laudem

dem atque nomen immortale tibi acquires; ita Deum precor, ut porrò Tuis ſtudiis, laboribus, & honeſtis conatibus benedicat, omniaq; ad ſuam gloriam clementer dirigat. Vale, & me amare perge. Dab. Baſ. m. Febr. Anno. 1661.

CONSPECTUS.

DIſſertatio præliminaris de vaniſſimis Judæorum in oſtendenda αὐτοκρατορίᾳ ſtudiis atque conatibus, *à pag.* 1. *uſq; ad* 14.

Relatio Antonij Montezini de repertis in America Tribubus Iſraeliticis, *à pag.* 14. *ad* 23.

Ejuſd. Relat. elevatio cum manifeſtis νοθείας indiciis, *à pag.* 24. *ad* 33.

Trutina opinionum diverſiſſimarum de primis Terrarum American. inhabitatoribus, *p.* 34. *uſq; ad p.* 40.

Origo Gentium Americanarum Iſraelitica juxta Menaſſen Ben Iſrael, *p.* 41. 42. 43.

Diſcuſſio Primi Sententiæ iſtius fundamenti, ex IV. Eſdræ c. 13. deſumti; *p.* 43. *ſeqq.*

ubi (1) *Codicis iſtius authoritas elevatur, pag.* 43. 44.

(2) *Relationis Pſeud-Eſdræanæ falſitas demonſtratur, ex Scripturâ Canonicâ, pag.* 46. 47. *Joſepho,* 48. 49. *Benjamine Tudelenſi (è cujus Itinerar.* κατ' ἄνθρωπον *diſputatur pag.* 49. 50. 51. 52. *rectâ denique atque ſanâ ratione p.* 54.

(3) *Iter*

(3) *Iter Iſraeliticum paulò accuratiùs examinatur, à p.54. ad.59.*

(4) *Reliqua à Pſeud-Eſdra commemorata reprobantur, utpote Tranſitus Euphratis miraculoſus, pag.59.60. Utopica Regio Arſareth, p. 60.61, &c.* (5) *deniq; argumenta pro origine Tartarorum Iſraelitica pugnantia, refutantur* 62.63.64.65.

Secundi fundamenti, ſive Inſcriptionis Hebraicæ in Inſula S. Michaelis repertæ, diſcuſſio, *p.*67.68.69.70. ubi varia monumenta Judaica expenduntur, *p.* 70.71.72.73.

Tertii Argumenti, vel Ædificii cujuſdam Americani (perperam à Menaſſe ben Iſrael pro Synagoga Judaica habiti,) deſtructio. *à pag.76. ad* 80.

Quarti fundamenti, à Rituum atque Ceremoniarum Iſraelitico-Americanarum convenientia deſumti, dialyſis, *p.*81.

ubi agitur (1) de circumciſione. 82.83.84. (2) de Laceratione veſtium, 85.86.87. (3) de Igne perpetuo, à p.88, uſque ad p.97. (4) De Legibus quibuſdam atque ſtatutis, 98.99. (5) de anno Jubilæo p.100. (6) de Obſervatione Sabbathi à p.101. ad 107. (7) de Divortiis. p.107.108. (8) de notitia Creati mundi & diluvij, 110.111.112. (9) Denique de criteriis quibuſdam levioribus, variisq; relationibus. p 114.115. ſeqq.

Coronidis loco diſquiritur: Quorſum Decem Tribus poſt captivitatem Aſſyriac. pervenerint? *p.119. & ſeqq.*

ubi Terræ atq; Regiones, (in quas abiêre) explicantur, & inepta Judæorum de iiſdem ſomnia repudiantur.

בעזה

בעזה

ΕΙΣΑΓΩΓΗ.

A longo Seculorum decurſo tempore, diſperſa Verporum propago, captivitatis prolixioris pertæſa, bellis quibuſdam & ingenioſis fabellis, priſtinam illam Majorum ſuorum gloriam effingere, efficiam novis mendaciſs exornare; exornatam denique monſtroſis & prodigioſis narrationibus amplificare laboravit, nullo quidem alio fine, quam ut המצאות (verba ſunt *R. Iſaaci Akriſch* ex קול מבשר pag. 1.) שהמציאו לחזק ברכים כושלות ולאמץ לבות נרכאים: febriculoſorum hominum inventis, in præſenti miſeria ſua & plebeculæ ſuæ genua titubantia ſuſtententur, & corda contrita confirmentur, totque fabularum plauſtris invehatur diu multumque deſiderata, & in obſcuris quibusdam Mundi latibulis fruſtra hactenus quæſita Gentis Judaicæ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙΑ, quam tanto majo-

ri ſtudio recutiti oſtendere; quanto vehementiori impetu acutiſſimum illum fidei Jacobææ pugionem, (quo eoſdem è com.10.cap.XLIX. Gen.petimus,) eripere conantur. Huc infinita propemodum cerebri Rabbinico-Talmudici referenda figmenta; huc mendaciſſima Tudelenſis, Elda Danitæ, & erronum aliorum itineraria; huc tandem vaniſſimorum quorundam, turpiſſimæq; fingendi libidini indulgentium, commenta innumerabilia; de florentiſſimo quodam Judæorum ultra fluvium Sabbathicum regimine; potentiſſimo inter Æthiopes & Abyſſinos dominio, infinito eorundem circa Daphnen Antiochiæ Suburbium numero, atque ſplendidiſſimo inter ipſos Novi Orbis incolas Imperio, nuſpiam hactenus, præterquam in Utopia reperto atque deprehenſo. Ab eo enim tempore, quo Tudelenſis ille Benjamin, miranda adeo, de infinito Iſraelitarum, paſſim dominantium, numero prodidit, nunquam defuêre inſignes ubiq; Viri, qui inſtituta paulò accuratiori inquiſitione, fidem ejuſdem non Orbi ſolum univerſo reddidêre ſuſpectam; verum fraudes illas atque technas Soli Meridiano expoſuêre, fictiq́ue iſtius Imperij, nec in Orientalium monumentis, nec ullis alijs melioris notæ documentis, vel leviſſima de-

mà deprehendêre vestigia. Vir omni encomio major, omnisque profundioris eruditionis hodie Phœnix, JACOBUS GOLIUS, (qui ad comparandam Rerum Orientalium notitiam, ipsa Solis ostia salutavit,) nec è nobilissimo Librorum advectorum apparatu, nec colloquio familiari, nec diversissimarum adeo Gentium atque Nationum consuetudine, colligere potuit, hactenus tantopere jactatam Populi Judaici illis in Terris ἀυτοκρατορίαν. Et doctiss. L'Empereur (*præf. ad Itin. Benjam.*) author est, ne auctori huic fides habeatur in omnibus, præsertim ubi Judæorum statum atque conditionem extollat, ad suam vid. Gentem semper collimasse, & vel numero, vel ficto quodam dominio Israelitas commendasse. Quin & ipsi Judæorum præcipui, exoptata quidem, ast infinitis saltem fabellis confirmata Dominia, minimè crediderunt. Sic *Isaacus Abarbenel* super com. 8. cap. LXIII. Esaiæ, in exposit. priori hæc cõmentatur: עוד זכרהמין השלישי מרעות הגלות והוא שלא היה בישראל מלכות ולא ממשלה ולא שבט משפט: h.e. *Mentionem insuper facit tertiæ classis afflictionum & malorum exilij, scil. quod inter Israelitas, neq; sit Imperium, nec Regimen, nec sceptrum judiciale.* Et *D. Kimchi* magnus ipsorum Doctor in com. 4.

cap. III. Hoseæ, ubi Deus ore Prophetæ annunciaverat, dies multos filios Israel mansuros absque Rege & Principe, addit: ואלה הם ימי הגלות שאנחנו בו היום ואין לנו לא מלך ולא שר מישראל כי ברשות הגוים אנחנו וברשות מלכיהם ושריהם: i.e. Hoc Tempus est Exilij, in quo nunc degimus, nec REGEM nec PRINCIPEM habemus; sed sub potestate profanorum vivimus, & sub potestate Regum ac Principum ipsorum. In hunc sensum etiam *R. Bechai* in Genes. f. 73. אין לנו היום מלך ושרים: *Nos hodie non habemus Regem neque Principes*: Et R.D.Ganz צמח דוד p.II. in præf. Inter decem causas quibus impulsus fuerit ad contexendam suam Chronologiam, postremò hanc commemorat: ut si lectores percipiant robur magnificentiæ Regum ac Cæsarum, atque deprehendant Judæis in exilio *Nullos esse Reges neque Principes*, orent Deum, ut Judices populo restituat, ac germinare faciat Davidis Germen. Nihilominus malesano quodam dominandi pruritu, vastissima Israelitarum Imperia tantum non digito ostendere, ac sesquipedalibus verbis describere conantur plurimi. Quale putidissimum non minus quam decantatissimum commentum circumfertur, de invisibili quodam & inac-

inacceſſibili Regno Judæorum ultra Amnem (ut vocant) SABBATHICUM, qui impuriſſimis Rabbinorum lacunis ſuam originem debet atque ſcaturiginem, videlicet *Talmudi Babyl. Sanhedr.* cap. VII. f. 65. & *Tanua Peraſach* c. IX. *Bereſ. Rabba*, peras. LXXIII. & *Jalcut.* Lib. II. ſuper Jeſ. fol. 52. Hinc itaque derivatus fluvius ille Chimericus, univerſum Orbem Judaicum inundavit, quod è R. *Sel. Jarchi* Commentar. ad XXVII. c. Jeſaiæ, v. 13. R. *Moſe Gerundenſe*, R. *Abrah. Zac.* Seph. Juchas. fol. 155. R. *Gedal.* Schalſch. f. 37. R. *Elia* in Thisbi, voc. Sabbation, & *Men. ben Iſrael* מקוה ישראל Sect. XIX. p. 59. minimè obſcurum erit. Craſſum hoc de fluvio Sabbathico mendacium, cum Judæorum quidam olim *Cl. Helvico* obtrudere conatus fuiſſet, lepida quadam fabella condiebat. Etenim narrabat, ante triennium quosdam adveniſſe mercatores, qui attulerint inde repletam terra capſulam, quam dicebat per omnes hebdomadæ dies perpetuo motu fuiſſe agitatam; die autem Sabbathi plane quieviſſe. Pluris verò hoc de terra pariter ac fluvio Sabbathico figmentũ nõ eſt faciendũ, quam Alcoranicũ illud, (*Azoar.* VII.) de piſcibus in Sabbatho, nec alijs diebus, capita ſua è mari exerentibus.

tibus. Prolixius autem fabulæ istius Judaicæ examen, infra exhibituri sumus, evolvantur interea *P. Galatinus* Lib. II. c. 9. *Elias in Thisbi*, voc. Sabbation, *Is. Casaubonus* Exerc. XV. adversus *Baron.* n. 37. Incomp. *Buxtorffius* Lex. Talm. voc. סבטון p. 1417. *Jo. Seldenus* Lib. III. c. 13. de Jure Nat. & Gent. è Script. Ebræor. *Petrus Cunæus*, de Republ. Ebr. Lib. II. c. 24. & *Nicolaus Fullerus* Miscell. S. Lib. I. c. 9. Præter Benjaminem insuper, Eldad Danitam, nugatoresque similes, quidam *Isaacus Akrisch*, (vel ut seipsum vocat יצחק בן אברהם בן יהודה עקרי"ש *Isaacus fil. Abrahami, nepos Jehudæ Akrisch*,) libello peculiari, cujus Titulus קול מבשר Vox Evangelij, post varias aliorum relationes, ipsi magna ex parte suspectas, narrat, quæ ipsemet tandem de Regnis Judæorum compererit, scil. cum Anno CCCXXII. seu Christi M D LXII. Constantinopolin petiisset, in eâdem (quâ vehebatur,) navi, grandævum quendam se reperisse Religionis Muhammedicæ Sectatorem, qui post plurima alia, de Regionibus Indicis, & Terra cumprimis חבוש *Chabusch*, seu Regione Abyssinorum colloquia, non solum affirmaverit, verum propriâ etiam experientia confirmaverit, Judæos alicubi absolutum possidere dominium, quod & *R. Samuel Schullam* Medicus,

cus, Alexandriæ poſtea aliquot comprobaverit teſtimonijs; Tunc etiam ſibi oblatam ejuſdem argumenti fuiſſe Epiſtolam, à *Raſ Chaſdai* ad Regem Coſaræorum exaratam, cum Regis ad eandem reſponſo, utriuſque exemplum typis poſtea mandavit, ac nuper demum cum verſ. Latin. eruditiſſimæ ſuæ præfationi, Coſreano codici præfixæ, inſeruit Incomparabilis BUXTORFFIUS. Duabus autem illis Epiſtolis, Tertia quædam de Regnis Judæorum eorumque potentia ſub Imperio Preſterjani, annexa eſt, quam tamen adèò abſurdam deprehendit, ut eam, licet ad inſtitutum maxime facientem, unà publicare erubuerit. Illam tamen Incomp. iſtius Viri benignitate nobis oblatam, latino ſermone hic compendiosè exhibebimꝰ, omiſsis quandoq; puerilibus iſtis, (quibus ad nauſeã uſq; ſcatet) nugis atque ineptiis. Narratur itaq; Terram illam Judaicam, Prete Johannis Imperio vicinam, eſſe ampliſsimam, & opibus non minus ac divitiis, quam omnis generis fructibꝰ refertiſsimam, duorum Imperiorum intercapedine diſtantem à fluvio Sabbathico, qui ſeptima quavis die curſum ſiſtat, Gentes verò, amni huic vicinas, nunquam ex eodem ad levandam ſitim haurire aquam, eò quod ſacrum illum, atque divinorum manda-

torum ſtudioſum eſſe credant; Scabie verò laborantibus, fluminis hujus ope, ocyus conferri ſanitatem priſtinam. Traditur inſuper, Judæis, ultra fluvium iſtum degentibus, XXIV. eſſe Reges, ac contribules quidem, quorum ſinguli ampliſsimam poſsideant civitatem, cum pagis adjacentibus. Regem ordine primum, dignitateque præcipuum, eſſe fortiſsimum atque potentiſsimum, centum virorum armatorũ millibus ſtipatum, ac Aaronem tunc temporis nuncupatum, hunc numeroſo illo exercitu, exſiccatum ſeptima quâvis luce fluvium Sabbathicum mira celeritate tranſiviſſe, terrasque deinceps hoſtiles invaſiſſe. Aaronem inſuper ſex cubitorum eſſe gigantem, quingentosque pro lubitu (gladii duntaxat, omnia conſumentis, haſtæque formidine) fugantem; Infinitam ſic Gentilium perire multitudinem, telis etiam acutiſsimis confoſſam. Monomachiam verò, à Judæo fortè Prete Johannis ſubditis oblatam, tot ſemper redimi auri libris, quot moles provocantis corporea conſtituat. Judæos iſtos omnes hoſtium adjacentium terras pro lubitu invadere, diripere ac conſumere omnia, peractaque feliciter expeditione, reditum in terras ſuas meditari. Alium inſuper inter illos exti-

extitisse formæ Giganteæ Regem, Simeonem scil. mille quandoque hostes in fugam conjicientem, esse Regem egregium, ab omni ira atq; indignatione alienum, sapientem item, insignique prudentia conspicuum, plura de Aaronis uxore, admiranda ejusdem forma, Palatio gemmis exornato, corporis cultu, filiis item atque filiabus perhibentur; Tum pretiosissimæ cujusdam gemmæ, Regiam universam (Sabbatis cumprimis singulis) illustrantis, virtus enarratur, fortitudo item filii natu minimi 80. virorum nece comprobata, exponitur, cum soli Judaici fertilitate, terræque illius qualitate. Porrò de adventu exterorum Judæorum mira referuntur, qua item ratione Rex Aaron (oblato sc. codice) originem illorum Judaicam exploraverit. Sapientissimi deinceps Senis, Doctorisque (illarum terrarum) excellentissimi, mentio fit, cujus opem & consilium in rebus arduis, atque difficilioribus negotiis implorent, qui singula facienda pariter ac omittenda exponat, eoque nomine Sacerdotis & Prophetæ titulo superbiat, honoreque inenarrabili afficiatur. Tandem fabulam universam, commentum quoddam de Juvene Ebræo à Prete Johanne capto absolvit. Huic summas oblatas esse opes atque dignitates,

modo Religionem Judaicam abjurare velit, quas tamen omnes atque singulas generosè contempserit his verbis: Absit ut æternum illud atque immortale Numen, cum Gentili eoque mortali commutem, & cum adhæc Prete Johannes mortem interminasset, sponte se ad eandem pro Cœlesti Numine subeundam obtulisse; Cui ille: constans fama infinitam meorum multitudinem à te interemptam narrat, ad quæ Ebræus: sic est, data opera id egi, invadunt enim terras nostras, quæ omninò defendendæ sunt, non mitior herclè fortuna nostrates, Regiones vestras devastantes, maneret. Quo responso laudato, Prete Johannem, illum veste sericâ, auro coruscante, donasse, quô munere (ex gentis suæ consuetudine, nigras vestes haud permittente) recusato, vestem aliam æque pretiosam afferri curasse, hacque etiam spreta, tandem Prete Johannem jus jurandum exegisse, ne in posterum suorum quemquam neci tradere velit, hacque conditione admissa, tutum illi in patriam suam reditum concessisse, adjecto XL. fortissimorum virorum, (ad turbam hostilem reprimendam,) comitatu, ante discessum tamen poscentibus aulicis, dulcissima quâdam cantilena Ebraica, omnium stuporem atque lachrymas

mas provocaſſe, ſicque feliciter in terram illam Judaicam (trajecto flumine Sabbathico) perveniſſe, & ab amicis lætitia ineffabili exceptum, elapſo ſpatio menſtruo obiiſſe. Huc etiam pertinet recentiſſima quædam, de decem tribuum latibulis Relatio Germanico-Rabbinica, quæ latinè ita ſonat: *Significo vobis, quendam ex urbe* בצרה *prope Babelem ſita, mihi retuliſſe, ſe, cum terras Indicas petiiſſet, reperiſſe Regionem amplam atq; ſpatioſam, cujus incolæ partim colant ignem, partim Solem, lunam aſtraq; reliqua, abſtineant item ab omni animali vivo, inter quos etiam degant Iſraelitæ, propriis tamen Regibus gaudentes, nec reliquarum gentium imperio ſubjecti. Dan, Naphtali, Gad & Aſcher habitare à latere fluvii Sambatiõ, filios Judæ verò incolere Inſulam in ipſo rivo ſitam: Menaßen prope fluvium Sambation; in circuitu nil niſi ignem reperiri, nec reliquis gentibus eoſdem adnumerari, Rege peculiari inſtructos, nec mortalium quenquam colloqui cum illis poſſe, Linguam enim illorum eſſe ſanctam, idiomatis mixti ac diverſi, Filios Simeon degere à latere plagæ meridionalis, ſuo quoq; Regi parentes, Sebulon & Ruben colere deſertum prope Pharan & Phrat, nec alia præterquam ſanctâ Linguâ uti, poſſidere Miſchnam, & Talmudem, Regiq; peculiari eſſe ſubjectos.*

Relationibus iſtis reſpondet alia cujuſdam Geo-

Geographi anonymi, quem laudat R. Asaria in Meor Enajim fol. 69. quâ perhibetur, in obscuris quibusdam montibus Africæ magnum reperiri Judæorum numerum, qui tributum pendant Regi Æthiopiæ, cujus nomen sit Preste Joan.

Magis mirandum est, ipsum *Abarbanelem*, suorũ verborum paulò ante exhibitorũ, adeò immemorem extitisse, ut Commentar. super cap. III. Jerem. tanta cum lætitia retulerit, sibi, eo ipso quo illa scripserit tempore, de Judæis Indicis quoddam exhibitum fuisse nuncium, quo certior fuisset redditus, plurimos Israëlitas in Terris Occidentalibus quiete & tranquillè degentes, esse repertos. Ipsa Abarbanelis verba hæc sunt: והנה בימים האלה אשר כתבתי זה ראיתי בכתב אמתי שהביאו בני המערב ההולכים היום ממלכות פור"טוגאל לארץ הודו להביא הבשמי' שהעידו שראו שמה יהודים הרבה והביאו כתב מיד חכם אחר מהם והם אומרים שהמה מבני יהורה ובנימן: *Et ecce, in diebus illis quibus hæc scripsi, vidi Epistolam fide dignam, quæ ex Occidente à viris quibusdam allata est, qui hoc tempore ex Regno Portugal abeunt in Indiam ad accersenda aromata, quiq; testantur, multos ibidem se reperisse Judæos, & asportasse literas manu cujusdam Sapientis ex illis exa-*

(exaratas) quibus asseratur illos esse Judæ & Benjaminis filios, &c.

Ut mirari tandem desinam, quâ de causâ Ebræorum ævi nostri doctissimus, & Abarbanelis (ducta ex ejusdem familiâ uxore,) Adfinis, MENASSE BEN ISRAEL, obscuram quandam & incertam cujusdam ANTONII MONTEZINI, de repertis in America decem Israelitarum Tribubus, Relationem, non Luci solum & Latio donare; verum tractatu insuper peculiari, (quem מקוה ישראל SPEM ISRAELIS nuncupavit) applausum eidem tanto molimine conciliare laboraverit. Quum verò Relatione ista, non solum insulsa Americanorum, ab Israelitis origo à MENASSE sit confirmata; verum nonnullorum etiam credulitati maximoperè hactenus fuerit illusum; hinc cum eodem non tàm de illius (quippe se ipsam nullo negotio destruentis,) veritate, quam argumentorum ad confirmandam illam pariter ac originem Americanorum Israeliticam allatorum, soliditate, sumus disquisituri, ejusdem sententiam iis ipsis, quibus proposita verbis est, Dialogi cujusdam formâ exhibituri, nostrasque solutiones atque exceptiones statim subjuncturi, hocque modestè, placidè, profligato damnifico illo maledicendi genio, solius

us veritatis indagandæ ſtudio. Ordinem verò MENASSIS obſervaturi, ipſam MONTEZINI Relationem, tractationi ſubſequenti præmittendam eſſe duximus.

Relatio Antonii Montezini.

Die 18. menſis Elul Anni 5404 à creato Mundo, venit in hanc urbem Amſtelodamum Aron Levi, alias Antonius Montezinus, ac narravit Domino Menaſſeh ben Iſrael, aliiſq; Nationis Luſitanicæ Primatibus, ductæ Urbis incolis, hæc quæ ſequuntur.

Duos nempe eſſe annos ac dimidium, quod ille ex portu Hondæ in India occidentali profectus ad jurisdictionem Papianis, in provinciam Quiti, conduxerit aliquot Indi cujuſdam, cui nomen erat Franciſci Caſtellani, mulos, atq; in ſuo aliorumq; Indorum comitatu fuiſſe alium nomine Franciſcum, qui ab omnibus Cacicus vocaretur. Accidiſſe verò, ut ipſis Montes Cordelleras tranſeuntibus, ingens exoriretur tempeſtas, quæ mulos onuſtos in terram dejiceret. Aegrè id, ac malam tempeſtatem ferentes Indi, inter ſe quisq; ſua enumerabant damna, agnoſcentes tamen, omne id, ac graviora ob peccatorum numerum ſe meritos, Franciſcus patienter hæc ferre juſſit, brevi nempe exin tempore quietem nactu-

nacturos. Indignos eâ se esse fatebantur reliqui, imo verò insignem crûdelitatem ab Hispanis exercitam, à Deo immissam, eò quod malè adeò excepissent populum ejus sanctum, atq; omnium innocentissimum. Jam igitur quid confecerant viæ, cum in ipso montis vertice subsistere, ac noctem transigere constituerent. Hic ex pyxide aliqua, accepta quædam præter caseum ac panem bellaria Francisco obtulit Montezinus, exprobravitq; ei in Hispanos contumeliosius dicta. Respondit autem ille, ne dimidiam quidem partem miseriarum, ac calamitatum, à populo crudeli adeo ac inhumano illatarum, sibi enarratam, sed non inultos hæc se esse passuros, suppetias vindicantibus laturo populo aliquo incognito. Finito colloquio urbem Indorum Carthagenam petiit Montezinus, ubi inquisitione habita, in carcerem conjectus fuit, oranti autem Deum talia exciderant verba: Benedictum sit nomen Adonay, quod non me fecerit Idolatram, barbarum, nigrum aut Indum, cumq; dicta Indi voce, sibi ipsi succensere videretur, ac diceret Hebræi sunt Indi, dein rursum ad se rediens, nugari se agnovit; & an Hebræi possunt esse Indi? subjunxit. Secundo tertioq; easdem reiteranti preces, ac reliqua addenti, in mentem venit, non fortuito aliquo casu ita se labi. Ruminatus igitur subinde ea, quæ ab Indo audiisset, diligentius omnia scisciturum se, usq; quo veritatem omnium resciret, continuoq; ac

ex

ex carcere dimissus esset, quæsiturum se Franciscum, omniaq; ab illo dicta se repetiturum juravit. Libertati itaque divinâ favente gratia redditus, ad portum Hondæ concessit, invenitq; pro voto hominem, quem sermonum in monte habitorum meminisse se dicentem, rogavit Montezinus, an non aliquod ingredi iter secũ vellet, omneque offerenti officii genus, tres dedit Imperiales, quibus necessaria quæque sibi compararet. Jam urbe excesserant, cum Montezinus Hebræum se esse ex Tribu Levi, Deũ suũ esse Adonay, cæteraq; omnia nil nisi vana esse ludibria Indo retulit: qui hæc miratus, parentum percunctatus est nomen; dicentique Abrahamum, Isaacum, & Jacobum; an non alius est tibi pater? ait; annuenti, ac Patrem Ludovicum Montezinum vocanti, nondum acquiescens ille, modo inquit gaudeo, cum hæc te dicentem audio, modo eo reducor, ut Tibi non credam, siquidem parentes tuos videris ignorare. Hæc ita esse uti dixerat jurantem Montezinum, an non filius Israelis esset, longiorem sermonem exosus, rogavit: qualem cum essè didicisset, prosequi jussit quod ceperat, addiditq;, melius deinmentem explicaret, eò quod ante ita fecisset dubium, ut nihilo certior unquam reddi posse videretur. Postquam verò consedisset uterq;, ac refecisset corpus, rursus ita auspicatus est Indus: quod si tibi is est animus, ut audeas me Ducem sequi, scies, quæcunque scire aves.

Id ve-

Id verò te velim monitum, pedibus Tibi hoc quodcunq; est itineris, faciendum esse, vescendumq; tantum cibo hoc assato (Mayz) nec quicquam eorum omittendum, quæ tibi dixero. Morem gesturum se in omnibus regessit Montezinus. Eum sequenti itaq; die, qui Lunæ erat, rursum accessit Cazicus, jussitq; quidvis, quod gereret in pera ab icere alpergatas induere, ac sumto baculo se sequi, relictis igitur â Montezino pallio & gladio, aliisq; quæ habebat, iter ingressi sunt, ferente Indo in tergo tres mensuras istius Mayz, duos funes, alterum nodis plenum cum unco bidenti, ad ascendendum montem, solutum alterum, ad paludes fluviosq; transeundum, cum securicula, & alpergatis. Hunc in modum accincti per totam hebdomadam, usque ad sabbathi diem iter promovêre; quo quieti dato, postridie progressi sunt usq; ad Martis diem; quo circa octavam matutinam ad fluviam Ducro non minorem devenêre; dixitq; tum Indus: videbis hic fratres tuos, factoque ex duabus xyli syndonibus, quæ cinguli loco ipsis erant vexillo, signum dedit; quo facto viderunt ab altera fluvii parte fumum densissimum, ac momento post tale etiam signum dari ejusdem generis vexillo. Paulo post tres Viri unaq; femina in scaphula quadam eos accessere, quæ jam appulsa, femina in Terram prosiliit, cæteris in scapha manentibus. Illa itaq; habito longo cum Indo sermone, quem

non intellexerat Montezinus, in navem rediit, ac quæcunq; ab Indo accepisset, tribus istis viris retulit: qui continuè fixis in ipsum oculis, è navi egressi, ac Montezinum amplexi sunt, secutaque eorum exemplum est femina, quo facto unus rursum navem ascendit, ac cum ad duorum & feminæ pedes se incurvasset Indus, illi perquam humaniter eum excepere, cumq; ipso multum contulêre. Paulo post Indus Montezinum bono animo esse jussit, & non expectare ut secunda vice ab illis conveniretur, priusquam bene animadvertisset illa, quæ primo ipsi dicta essent.

Tunc verò duo isti viri, utrumq; Montezini latus tegentes, vers. 4. cap. VI. Deut. Hebraicè pronunciavere: SEMAH ISRAEL, ADONAI ELOHENV ADONAI EHAD. Id est: Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Dein rogato interprete Indo, quomodo quæq; in Hispanico idiomate essent enuncianda talia Montezino dixêre, facto tamen parvo post quamq; periodum habitam, intervallo.

I. Patres nostri sunt Abram, Isaac, Jacob & Israel, & quatuor istos, tribus digitis erectis repræsentabant. Jungebant dein Ruben, tribus digitis uno addito.

II. Varia dabimus loca iis, quibus animus fuerit nobiscum commorandi.

III. Josephus habitat in medio Maris, facto duobus digitis compressis signo, ac dein separatis.

IV. Bre-

IV. *Brevi, dixêre, citißime loquentes, quidam noſtrum exibunt ad videndum & conculcandum, quo dicto nictarunt, ac terram pulſarunt pedibus.*

V. *Omnes colloquemur aliquando, pronuncian-tes ba, ba, ba, & exibimus non aliter, ac ſi ex terra, matre prodiiſſemus.*

VI. *Ibit nuntius aliquis.*

VII. *Franciſcus de his dein paulò plura dicet; digitis ſignum facientes, non multa dictum iri.*

VIII. *Permitte nobis ut nos præparemus, & motis undiquaq; verſus manibus ac ore, ita orabant Deum: Ne diu differ.*

IX. *Mitte duodecim homines; ſignum facientes barbatos ſe velle, ac ſcribendi gnaros.*

Finito colloquio, quod per integrũ durarat diem, idem, ſequentibus Mercurij & Jovis diebus reverſi, reiterabant, nullo verbo inſuper addito. Pertæſus ad finem Montezinus, quod nihil ad rogata reſponderent, nec permitterent ut fluvium traijceret, in ſcapham ſe projecit, ſed ab illis expulſus baculo, in aquam cecidit, non ſine magno vitæ periculo inde ereptus, eò quod natare non poſſet. Reliqui verò ex undis extracto, noli, inquiebãt irati, tentare tranſitum, nec plura inveſtigare quã Tibi indicamus. Quod ipſi quoq; explicabat Indus, reliquis idem ſignis variis ac verbis docentibus.

Notandum eſt, cymbam iſtam, toto iſto triduo

nunquam eodem mansisse in loco; sed quatuor, qui venerant, abeuntibus, alios rediisse quatuor, qui quasi uno ore omnes illos novem supra dictos articulos repeterent, numero venientium & abeuntium, ad trecentos quasi excrescente.

Homines isti paululum à Sole adusti sunt, aliiq; promissas usq; ad genua comas, alii breviores, alii quales nos plerunq; solemus, alebant: pulchro erant corpore, pulchrè instructi, pedibus ac tibiis ad ornatum factis, linteo verò aliquo caput redimiti. Montezinus narrat, quod cum die Jovis sub vesperam inde discederet, illos multa humanitatis officia exhibuisse, allatis quæcunq; ipsi in via necessaria existimassent, addidisseq;, omnibus illis se instructos, ut cibis, vestibus, gregibus, aliisq; quæ in India Hispani sua dicerent.

Cum eodem die deventum esset ad locum ubi divertissent nocte illâ, antequam ad fluvium accederent, Montezinus dixit Indo: Meministi Francisce, à fratribus meis dictum, te mihi quid indicaturum, rogo itaq;, ut id referre mihi non graveris. Narrabo tibi quæ scio, dixit Indus, modo mihi non sis molestus, & veritatem noscas ut ab antecessoribus meis accepi. Sin autem nimium me roges, ut facturus mihi videris, induces me ut falsa dicam. Adverte igitur Animum quæso, ad illa solum quæ tibi narrabo.

Fratres

Fratres tui Iſraëlis filii ſunt, & eo conducti fuêre providentia Dei, multa in eorum gratiam facientis miracula, quæ non creditur us es, ſi tibi enarrabo ut ut ita à Patribus edoctus ſim. Nos Indi bellum ipſis inferebamus in iſtis terris, duriusq; tractabamus eos, quam nos tractamur ab Hiſpanis. Dein ex juſſu Magorum noſtrorum (qui Indis Mohanes) eò, ubi fratres tuos vidiſti, armis accincti rediimus, ipſos debellaturi, ſed ne unus ex omnibus qui eò commigrarunt, ad ſuos reverſus eſt. Ingentem igitur reſtauravimus exercitum, eosq; adorti ſumus eodem planè ſucceſſu, ut nullus rurſum evaderet, quod etiam tertia factum vice, ſic ut omnibus penè incolis deſtituta, præter ſenes ac mulieres India fuerit. Fraudem itaq; Magorum ſubeſſe rati Senes, cæteriq; qui remanſerant, de eiiciendis Magis omnibus conſilium ceperunt: ac multis eorum jam cæſis, illi qui ſupererãt ſe ignotum quid dicturos polliciti ſunt; quo dicto ſævire deſitum eſt. Illi verò talia edocuêre:

Deus iſtorum filiorum Iſraelis verus Deus eſt. Omne id quod lapidibus ipſorum inſcriptum eſt, verum eſt. Domini erunt totius Terræ ſub finem Mundi. Venient qui vobis adferent multa bona, & poſtquam omnibus terram ditarint, filii iſti Iſraëlis ex patria ſua migrantes, omnem Orbem ſibi ſubjicient, ut ſubjectus ipſis erat ante.

Felices eritis, ſi fœdere aliquo vos iis jungatis.

Tum quinq; primates (Cazici Indis,) qui Majores mei erant, intellecto Magorum vaticinio, quod ab Hebræorum sapientibus acceperant, eo profecti sunt, ac precibus multis tandem obtinuêre, postquam desiderium suum feminæ isti, quam interpretem agere videbas, (eo quod fratres tui nullum commercium cum nostris Indis habere voluerunt) explicassent. Quisquis autem nostrorum fratrum tuorum terram ingrederetur, illicò ab illis occidebatur, neminefratrum tuorum ad loca nostra transeunte. Fœdus itaq; juvante ista fœmina, tale cum iis pangebamus:

I. *Ut quinq; Cazici nostri, singulis 70 mensibus soli ipsos accederent.*

II. *Ut ille, cui arcana revelanda essent, excessisset ætatem trecentarum Lunarum sive Mensium.*

III. *Et ne ulli talia aperirentur in loco aliquo ubi habitaret populus, sed in deserto, solumq; præsentibus istis Cazicis. Et ita, addebat Indus, arcanum illud internos servamus, & quod magnam nobis polliceamur ab illis gratiam, ob officia fratribus tuis à nobis præstita. Non invisere nobis licet eos, nisi singulis LXX. mensibus, aut si quid novi forte superveniat. Id quod in vita mea tribus tantum contigit vicibus: primò, cum Hispani has in terras venirent, dein cum venirent naves in mare Meridionale, tertio, te veniente, quem diu admodum desideraruni,*

runt, & expectarunt. Ob tria illa nova insigniter sunt gavisi, eò quod Prophetias impleri dicerent. Narravit etiam Montezinus, dein sibi Hondæ à Francisco missos tres alteros Cacicos, non dictis tamen eorum nominibus, priusquam dixisset, liberè licet tibi hos alloqui, qui socii mei sunt, in hoc quo fungor munere, de quibus & tibi dicere me memini, quintus ob senectutem venire non potuit. Arctissimè verò tres isti illum amplectabantur, rogatusque Montezinus, cujus esset Nationis? Hebræa respondit, ex Tribu Levi, & Deum suum esse Adonay, atq; alia: quibus auditis, rursus amplexi sunt illum ac dixêre; videbis nos aliquando, & non agnosces; fratres tui sumus omnes, singulari Dei favore, ac dein vale utrinq; dicto discessêre, dicentes singuli, mea curatum eo, solus itaq; remanens, qui Montezinum ut fratrem salutabat, Franciscus, ita valere jussit. Vale mi frater, alia jam agenda habeo, & eo ut invisam fratres tuos cum cæteris Cazicis Hebræis. quod terram hanc attinet, securus sis, omnibus enim imperamus Indis. Postquam vero negotium, quod nobis cum sceleſtis Hiſpanis eſt, ad finem perduxerimus, ex servitute, in quâ estis, vos ducemus, Deo juvante, non dubii, quin ille juxta verbum suum, mentiri nesciens, opem laturus sit. Tu interim da operam, ut homines isti veniant.

ELEVATIO.

HActenus RELATIO, quæ adeò insulsa, adeò anilis, & ab omni veritatis specie aliena apparet, ut mirum non immeritò videatur, quî Vir non ineruditus, non tantam solum eidem fidem tribuere; verum maximi etiam momenti rem exinde confirmare non dubitaverit. Quid autem de Relatione illa statuendum sit, aliquot adsertionibus breviter declarabimus, nec enim animus est singulas nunc persequi nugas, utpote quæ à quolibet nullo prorsus negotiò observari poterunt. Cumque Menasseh quali quali argumentorum apparatu, aliorum applausum emendicare laboraverit, è prolixiori illorum examine, RELATIONIS ipsius ΝΟΘΕΙΑ haud obscurè deprehendetur.

ADSERTIO

I. *Nemo unquam sive Geographorum, sive Nautarum, Mercatorum, sive peregrinantium aliorum, qui navigando totum fermè Orbem circumiverunt, locaq; omnia perlustrarunt, simile quid unquam, vel audivit, vel retulit. Hispanorum certè aviditas, & Belgarum curiositas, loca hæc nobis hucusq; minimè reliquissent incognita, non igitur in tantâ luce præstigiis agere licebit.*

Hanc adsertionem infringere conatur Menasse

naſſe ben Iſrael, (מקוה ישראל Sect.XX.pag. 68.h.m. *Non valet argumentum à quibuſdam mihi motum: ſi in mundo ſunt, cur non ipſorum nobis eſt major notitia? Nempe etiam multarum rerum quas novimus, non novimus tamen originem; & annon hactenus quatuor fluviorum Nili, Euphratis, Gangis, & Tigridis, latuere nos fontes?* Sed Bone Vir, non quæritur jam de Iſraelitarum Americanorum origine, ſeu *unde ſint?* ſed negatur plane *quod ſint.* Quis illum non rideret, qui Chimeræ, aut rei alterius in cerebro ſuo natæ, cauſas & originem operosè indagare vellet? perinde ac ſi ante repertas Terras Americanas, de Gentium iſtarum origine fuiſſet diſputatum, & ante exploratam Magnetis virtutem, de occulta ejuſdem qualitate litigatum. Concedimus, res interdum ſatis eſſe perſpectas, quamvis ignoretur origo, quod quatuor iſtorum fluminum ignotæ ſcaturigines, & ipſorum forte Americanorum incertæ origines ſatis evincunt; nondum verò explorata Iſraelitarum illorum exiſtentia, de eorundem origine fruſtra diſquiritur. Quis verò diverſiſſimam fluminum iſtorum, & Terrarum Iſraeliticarum in America rationē non apprehendit? quum illa ſatis perſpecta ſint, quamvis latente origine; hæ verò à nullo unquam fide digno teſte

exploratæ aut indagatæ. Pergit Menasse: *Certum etiam est, per quam multas esse terras nobis incognitas.* Quis dubitet? an igitur fingendæ sunt, & pro noviter repertis venditandæ Utopicæ? Etsi remotissimæ vastissimæque Regiones Australes sint incognitæ, neutiquam tamen in Orbe habitabili, ampliſſimę adeò Provinciæ (qualis Pseud-Israelitarum Regio perhibetur,) hactenus latuere illos, qui Indias occidentales toties peragrarunt, suisque commentariis accuratissimis illustrarunt. Nec titivilitio digna est Menassis instantia. *Quanquam nonnulli in Terris cognitis & vicinis habitent, latent tamen POST MONTES.* Anne verò eadem ratio est obscurissimorum ejusmodi latibulorum, atque vastissimarum provinciarum Israëliticarum, quales finguntur in America? Quis inficias iret, in occultis Montium cavernis, aliisque solitudinibus, quasdam superesse Gentium reliquias; eodem verò modo, Terras istas Israelitico-Americanas, Hispanorum aviditati, atque Batavorum curiositati hactenus subductas fuisse, ab omni veritatis specie videtur alienum. Hoc denique urgemus, si etiam nemini, excepto Montezino, hæc res unquam innotuisset, illeque primus Terras istas detexisset, num altum adeò annis à reditu ejusdem proxi-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [54] - 26
PUBLIC DOMAIN

proximis fuiſſet ſilentium, ut noviſſimi etiam, totaque die ex Americanis Regionibus advolantes nuncij, rem notatu digniſſimam in Relationibus ſuis præterire potuerint?

II. *ANTONIUS ille MONTEZINUS Homo non ſuſpectæ ſolum, verum nullius etiam fidei eſt, & Benjamini Tudel. aliisq; per omnia ſimilis.*

Hoc ut tanto manifeſtius appareat, σύγκρισιν ſeu convenientem quandam collationem, inter Tudelenſem atque Montezinum inſtituamus.

(1) Satis decantatum *Benjaminis* elogium eſt, multa illum in Gentis ſuæ gratiam confinxiſſe; præcipua quippe ejuſdem eloquentia, in deſcribendo Judæorum conſiſtit dominio, quod (ut antea diximus) ignorarunt, quicunq; orientem poſtea luſtrarunt, affirmantes, Judæos in oriẽte nec gladii jus, nec celebrata toties Synedria, nedum ampliſſima & à Tudelenſe enarrata Imperia poſſidere. Idem omninò de Montezino illo ſtatuendum eſt, utpote qui primarium Relationis ſuæ ſcopum infeliciter adeò diſſimulat, ut ſtatim à quolibet (rhinocerotis præſertim naſum habente) deprehendatur; hiſce enim verbis ſorex manifeſtè ſe prodit: *Quod terram hanc attinet ſecurus ſis,* OMNIBUS ENIM IMPERAMUS INDIS; & pau-

& paulò ante: *Filii isti Israelis ex Patria suâ migrantes, omnem Orbem sibi subjicient, ut subjectus ipsis fuit ante.* En fictæ αὐτοκρατορίας Judaicæ semina, & manifestissima fraudis atq; præstigiarum indicia!

(2) *Benjaminem* plurima ex relatione tantum habuisse, nec cuncta à se memorata recte apprehendisse; diu est quod eruditorum Principes sunt conquesti, & ipsa libri præfatio illud abundè docet, idemque confirmat *R. Dav. Ganz, Chronic. p. I. fol.* 55. Sed & multa male & perperam percepit, quod aliquot exemplis ostendit *Cl. L' Empereur* in Notis. Sic & *Montezinus* (ut ex ipsa relatione constat) pleraque tantum à Cazico quodam Indico sibi narrata fuisse tradit: *Narrabo Tibi* (ait ille) *quæ scio, modo mihi non sis molestus, &c.* Et callidè admodum Relatio fingit Israelitas illos Americanos, omnem aditum capitali pœna in terram suam prohibuisse, ne sc. instituta paulo accuratiori inquisitione, fraus tandem atque dolus prodatur. Exambiguo igitur rumore Narratio illa magnam partem conflata, Eruditorum applausum nunquam inpetrabit.

(3) Egregium *Benjaminis* stratagema observat doctissimus, L'*Empereur*, (in Not. p. 217.) illum sc. per ambages & IGNOTA NOMINA

NA Lectorem deducere, ne in ista loca inquirens, falsi eum convincere queat, quasi hoc ad rem adstruendam sufficiat, si locus licet, ignotus apponatur, sic Itiner. p. 112. narrat, plurimos Israelitas reperiri in *Adan* & *Telassar*, ubi autem loca hæc sita sint, prorsus incertum est ac dubium; procul in oriente fuisse, est inconfesso, sed destinatam climatis partem adjicere, omninò difficile. Exempla alia, magno numero Itiner. Benjam. suppeditabit. Ejusdem fraudis insignis certè artifex Montezinus noster, commemorat loca, in quibus tantus Israelitarum reperiatur numerus, nec exponit in qua provincia, sub quo climate sita sint, saltem narrat ex Quiti, absoluto duodecim dierum itinere, se eò cum Indo perveniisse. Quis universam fermè peragrabit Americam, ad investiganda obscuriſſima illa Pseud-Israelitarum latibula.

Sed instat Menasse (מקוה ישראל Sect. XIII.) *Cur non credam homini virtuti dedito, omnisque lucri, quod lucrum æstimamus homines osori?* Hem, raram inter Judæos avem! plures forte numeraveris coloris nivei corvos, quam lucri omnis apud eosdem osores. Sed ad rem. Alia sunt quæ fidem Montezini reddunt suspectam. Est honestius quoddam

lucri

lucri genus, pias fraudes insignes illarum Architecti nuncupare solent, insitum videl. & Judæis cumprimis familiare, patriam Gentem evehendi studium, quod tantum à Montezino, quantum Benjamine, Eldad Danita, aliisque fuit alienum.

Regerit tamen Menasse (Sect. XIII. p. 40.) *Plus fidei habeo Relationi Montezini nostri, Lusitani, ac nostri ordinis Judæi, nati in urbe Portugalliæ, cui nomen Villefleur; honestis ac notis parentibus, hominis quadragenarij, probi neq; ambitiosi. Ivit in Indias ubi inquisitionem passus est. Inquirebat ille liberatus ab inquisitione hæc curiosius, quam dici possit, & compellabat homines istos sæpissimè neq; acquievit dein, priusquam huc venisset, nobisque nova adeo læta communicasset. Multa verò in itinere isto perpessus est, & ad summam pauperiem redactus, eò quod in nullius ædibus victum sumeret & laborem suum compensari nollet. Ego ipse sex integris mensibus quos hic vixit, familiariter ipso usus sum; & aliquoties in præsentiâ honestorum virorum juramentum ab eo exegi, quo vera esse quæ narrabat, confirmaret. Abiit dein Phernambucum, ubi biennio post, facto etiam eodem ibi in agone mortis juramento, decessit.* Minime hæc ad authoritatem Montezino ullatenus conciliandam sufficiunt, à quibusdam accepi, fuisse homi-

hominem ſimplicem, vanum, vagabundum, ad quævis pro lubitu fingenda aptum natum, & neſcio quam gloriam ex omnium ſudſidiorum etiam neceſſariorum contemtu ſibi promittentem, qualem de eadem Gente nuper in Imperiali quadam civitate offendi. Cæterum quid de modernorum Judæorum juramentis vulgò ſtatuatur, omnium ubique ore divulgatum, & quotidiana experientia abunde comprobatum eſt.

III. *Relatio ipſa aliquot ſcatet contradictionibus*: Nunquam ſane aliorum conſenſum impetrabit, ſi ſibi ipſi dicat contraria. Quædã exempla cape Lector: Memorat Montezinus, (p. 22.) quanto ſtudio Iſraelitæ illi Americani caveant, ne quiſquam eos accedat, verba hæc ſunt: *Quisquis noſtrorum fratrum tuorum terras ingrederetur, illico ab illis occidebatur*, & cum Montezinus, (pertæſus tandem, quod neque ad interrogata reſponderent, neque permitterent, ut fluvium trajiceret,) in ſcapham ſe conjeciſſet, baculo ab illis expulſus, in aquam cecidit, non ſine magno (ut narrat,) vitæ periculo inde ereptus; Aſt, inter novem illos articulos, quos uno ore Pſeud-Iſraelitæ illi toties repetierunt, ſecun-

ſecundus ita ſe habet : *Varia dabimus loca iis, quibus animus fuerit nobiſcum commorandi.* Quomodo hæc conciliari poſſint, ego non apprehendo. Sic, quid tandem de Indico iſto Cazico Montezini comite ſtatuendum ſit, prorſus ignoro, mox Indus, Idololatra, & parti Iſraelitis adverſæ addictus eſt, dum Montezinũ ſic alloquitur (p. 32.): Nos INDI *Bellũ ipſis inferabamus in iſtis terris, duriusque tractabamus eos, quam nos jam tractamur ab Hiſpanis, dein ex juſſu Magorum noſtrorum eò ubi fratres tuos vidiſti, armis accincti rediimus, ipſos debellaturi &c.* Hactenus igitur Pſeud-Iſraelitarum hoſtis infenſiſsimus, mox Montezinum Judæum, Indus ille complexus, exclamavit cum Cazicis reliquis: *Fratres tui ſumus omnes:* ac diſcedentibus reliquis Indus Montezinum rurſus ut fratrem ſalutabat: *Vale mi frater, alia jam agenda habeo, & eo ut inviſam Fratres tuos, cum cæteris Cazicis Hebræis.* Atque ſic ex Iſraelitarum ſtirpe oriundus. Denique cum frequentiſſimè in ipſa relatione FRANCISCI appellatione diſtinguatur, haud incongruum eſſet eundum nuncupare CHRISTIANUM. Nomen certè illud non magis Judaicum eſt quam Indicum, & Neophytis forte Americanis à ſacerdotibus Hiſpanicis impoſitum.

Quid

Quid verò ad hæc noſter Menaſſe, placet adhucdum Relatio? *Placet, & præ cæteris quidem Montezinus,* (verba ejuſdem ſunt Section. XXXVIII.)p.105.*quemadmodum enim alij populi Iſraelitas coegere, ut montana quærerent; ita habitatâ primum Americâ,à perſequentibus Tartaris pulſi fuêre uſque ad montes Cordilleras, ubi ad extremum Deo ita volente latuêre.* Hæc pro Rabbinicâ authoritate ſuis perſuadet Menaſſe,omni fide digno authore omni ſolidiori fundamento deſtituta,huc opportunè illud: *credat Judæus Apella.* Qui meliora ſunt eruditi, rident duntaxat ſuaviſſima hæc Ebræorum commenta, de quibus poſtea paulò prolixius diſſerendum erit.

Ex his itaque de Montezinianâ illa Relatione,tot nominibus ſuſpecta, dubia,ſibique ipſi contraria, liberum B. L. ſibi formabit judicium. Nos, prolixiori diſcuſſioni neutiquam inhærentes,ad ipſum MENASSEN,originem Americanorum Iſraeliticam ex illa Relatione adſtruentem, properamus, ejuſd. argumenta eo quo propoſita ordine ſunt, examinaturi,fabulæque iſtius *νοθεύειν* deinceps oſtenſuri:

MENASSE BEN ISRAEL,
מקוה ישראל ſeu Tract. de SPE ISRAELIS
SECT. I. pag. 15.

Inter tot varias de Indorum Novi Mundi origine opiniones, easq; incertas adeò, difficilè est certi quid dicere.

Annotatio.

Quantæ difficultatis sit inter infinita adeò sententiarum divortia, certi aliquid statuere, non ignoravit *Petrus Cotton* Jesuita, dum Anno MDCIV. cum aliis hanc Diabolo in obsessa puella quæstionem proposuit: *Quomodo Insulæ Animalia acceperint, & eò homines post Adamum pervenerint?* Remotas videl. atque noviter repertas Orbis recentis Insulas intelligens; Alii quibusdam prophetiis atq; revelationib⁹ è Sacra Scripturâ petitis usi sunt, ut docerent, vel Hispanos vel Judæos ad incolendum Novum Orbem venisse, vid. *Lescarbotus*, Histor. Nov. Franc. Lib. 1. c. 3. adeò tamen inextricabilis quæstio non est, ut non alia eaque longe commodiori ratione expediri queat. Ab Anno quidem Dni. Mcccc xcii. quo admirabilis Columbus primus in Americam penetravit, nobilissima Europæorum ingenia sunt excitata, quibus parum fuit incognitas antea detexisse terras, nî vastissimarum adeò Gentium origines indagari ostendique possint. Primis statim annis inepte non minus quam ridicule in Hispaniâ disputatum est: Utrum Americani ab

ni ab Adamo oriundi, an verò tertiam quandam inter Simios & homines constituerent speciem ? Magis ineptire cœpit *Theophrastus Paracelsus*, duplicem Adamum alium in Asia, in America alium statuens, quas nugas numeris suis perfecit famosus ille fabulæ Præadamiticæ promachus, aliorum telis satis superq; jam confossus. Haud majoris momenti sententia est *Alexis Vanegan*, statuentis, primas Indiæ occidentalis colonias à Carthaginensibus positas ; eò quod illi non secus ac Peruani picturis vice literarum utantur, pro eâdem origine æque ineptis rationibus pugnat *Emanuel de Moraes in Histor. Brasil.* nondum editâ. Quam infirma autem argumenta illa sint, quæ à simili petuntur, infra prolixè ostendemus. *Arias Montanus*, opinione quidem cæteris subtiliori, nullis tamen idoneis rationibus fulta, docere voluit, Americam ipsissimam esse OPHIRAM, quod & *Columbo & Fr. Vatablo* visum. Sententia hæc Montani in ejusd. Phalego reperitur, ubi contendit ab OPHIR ortos eos, qui Novam Hispaniam & Peruviam tenent, quæ Regiones per transpositionem literarum PARVAIM dictæ fuerint, (אופיר Ophir enim per metathesin literarum, idem valet ac PERU) hasque terras esse illas Ophir,

unde Salomon aurum, gemmas, aliaque acceperit, de eâd. ſententiâ agit, etiam Menaſſe, ſect. II. Primarium autem Ariæ fundamentum in nominis Ophir & Peru convenientia conſiſtit, cum tamen notum ſit, vocem illam demum ab Hiſpanis repertam hâc occaſione: Quidam piſcator, Beru appellatus, à primis illarum Regionum inventoribus de Regionis nomine rogatus, reſpondit Beru, hoc ſibi nomẽ eſſe innuens, illi ex templo tractum univerſum Peru nuncuparunt, quod etiam Garcilaſso Inca vir non exiguæ authoritatis perhibet. Ariæ tamen opinio præ aliis placuit *Franciſco Bivario*, in Chronic. Luc. Dextri ad Annum C.LXVI. addit inſuper, à poſteris Ophir quoque Americam cultam fuiſſe. Et omnino mirandum eſt, tantis Viris ſententiam illam minimè diſplicuiſſe, videlicet, Becano, Poſſevino, Genebrardo, Brixiano, Eugubino, Mornæo, aliisque. Nonnulli Americam vocarunt Atlanticam, cujus in Timæo ſuo Plato meminit. *Joh. Lerius* cum Gomara Americanos à Cananæis metu Joſuæ profugis, deducit. Idem, *Leſcarbotus* Hiſt. Novæ Franc. lib. 1. c. 3. non confirmat ſolum; verum etiam è cap. 12. lib. Sap. verſ. 4. 5. ſtabilire conatur, ubi narretur Cananæos ante adventum Iſraelitarum

rum fuisse Anthropophagos, quales in America reperiantur plurimi. Non opus verò est Anthropophagos è Cananæa accersere, etiam in Æthiopia produntur à *Plinio* lib. VI. cap. 30. item in Scythia, lib. IV. cap. 12. & in eâdem usq; ad promontorium Tabin, lib. VI. c. 17. & alibi. Quidam, teste Gomarâ Hispanos à Mauris, victo Roderico, Americam petiisse credide-runt, eò quod in Jucatanâ cruces repertæ sint, & de Cumanæ incolis perhibeatur, quod inter idola potissimum venerentur crucem decus-satam, quam credant sibi præsidio esse adver-sus Dæmones nocturnos, collisque infantium appendant. Sed hanc de crucibus fabulam Hispani excogitarunt, ut jus sibi suum in eas-dem novi Orbis terras quasi postliminio vin-dicarent. Eandem sententiam Gomara refu-tat ex eo, quod in Insulis ad quas primo venire necessum fuerit, nullæ cruces repertæ sint. Ro-manorum colonias Americanos nuncupat *Marinæus Siculus*, argumento Numismatis, effi-giem Augusti exhibentis, inque Americæ fo-dinâ reperti, Romanoque Pontifici à Jo. Ru-fo Archiepiscopo missi; Nummum illum vel suppositititium, vel ab Hispanis illatum fuisse, magis probabile est. Nec defuere qui Peruanis & Chilensibus Frisiam originem adsignavere.

Abrah. Mylius Commentar. de Belgic. Lingv. Americanos omnes à Celtis ortos tradit, duplici quidem via, primo per Orientem, unde ad Anjan pervenerint, deinde per occidentem ex Islandiâ & Frislandiâ in terram Laboradoris. *Athanasius Kircherus* in Prodr. & Oedipo suo Ægyptiac. ut infinitas Gentes, sic Americanos etiam Ægyptiorum colonias nuncupat, ob Solis, Lunæ, siderum, ac aliorum animantium religiosum cultum. An sola hæc ratio sufficiat, & annon omnium Nationũ Idolatricarum originem Ægyptiacam arguat, aliis relinquo dijudicandum. *H. Grotius* (Mylij opinionem suppresso nomine secutus) primam in Americam expeditionem à Norvvagis susceptam fuisse, dissert. peculiari ostendere conatus est, sic tamen ut post aliquot temporum intervalla, novæ ex Suecia & Daniâ coloniæ supervenerint. Pervanos tamen Sinensibus attribuit, quorum nonnullos in terras illas aut quærendi curiositas, aut magnus humani generis propagator casus pertulerit, quam malè autem bonam quandoque causam egerit, suis ad eandẽ Grotii dissertationẽ, animadversionibus ostendit *Jo. de Laet.* In eâdem controversia aliquid tentavit *Robertus Comtæus* Normannus, qui examinatis Grotii & Laetii argumen-

argumentis commentarium adornare cœpit, quem tamen fati præcocis truculentia erudito Orbi denegavit. Credit ille Americanos à Phœnicibus, sive Tyriis sive Carthaginensibus ortos, solamque hanc Gentem vastissimas illas Regiones inhabitasse, priusquam ex aliis provinciis eo pervenerint. Egregiam deniq; in hâc controversia operam navavit Vir celeberrimus *D. Georgius Hornius*, quatuor de Origine Gentium Americanarum Libris, quibus medium quasi inter tot tantaque dissidia tenuisse visus, plurimas quidem Gentes in Americam pervenisse statuit, nec omnes tamen sine discrimine admittit, primò Septentrionalem Americam cultam fuisse, inde in meridiem Gentes migrasse, sua sponte numero auctas, & à sûccedentibus pulsas. In septentrionalem autem Americam triplici via perventum à totidem populis fuisse, ex occidente Phœnicib⁹; ex Septentrione Scythis, ex Oriente Sinensibus, quibus etiam per intervalla aliæ Gentes atque aliæ accesserint. Nec displicent ea quæ *Doctiss. Ursinus* Anal. S, lib. 6. c. 24. de Gent. Americanarum origine affert, ubi aliquot argumentis ostendere conatus est, post Salvatoris demum tempora colonias in Americam fuisse traductas; an verò allata senten-

tiæ hujus fundamenta satis firma atque solida sint, nunc non disquiremus. Tutissima verò pariter ac certissima illa sententia est, quæ statuit, ex Oriente pariter ac Septentrione, omnẽ Americam post diluvium à Semi & Japheti posteris inundatã fuisse. Filii enim Semi, cum post longa temporum intervalla, paulatim ultra orientem sese extendissẽt, plurimasq; in illis partibus Asiæ Regiones incoluissent; à littoribus illis orientalibus solvisse, & ad Insulas inter Asiam & Americam Aquilonarem jacentes perrexisse, atque inde in ipsam Americam penetrasse videntur. Postquam enim per plagas Asiæ Aquilonares, (quas nunc Tartari incolunt,) disseminati tandem, ad orientales ejusd. Asiæ fines (propè fretum Anjan, quo Asiâ ab Americâ sejũgitur,) devenissent, in Americam facilè transfretare potuerunt. Succedentibus deinde temporibus, cunctisque Regionibus repletis, ad fretum tandem Magellanicum eosd. deveniſſe, & ad regiones quoque Antarcticas non magno negotio transfretasse, veritati maximoperè videtur consentaneũ.

Sed quænam è diversissimis adeò de Gentium Americanarum origine Sententijs, nostro arridet Menassi? Nulla. Peculiarem sequitur, olim jam à nonnullis approbatam, plurimis

rimis verò ad Caucasum seu potius in Americam ipsam unde provenit, relegatam atq; profligatam. Audiamus illam atque expendemus:

MENASSE BEN ISRAEL

(præfat. ad Tract. מקוה ישראל, col. 2.)

Ego quidem examinatis curiosius, quæcunque hactenus hâc de materia scriptâ fuêre, non invenio aliam magis verisimilem, nec magis rationi consentaneam, quam Montezini nostri opinionem, dicentis, PRIMOS AMERICAE Incolas fuisse ISRAELITAS EX DECEM TRIBUBUS; quæ à Tartaris bello victæ ac fugatæ post montes Cordilleras, ita nempe volente Deo, se abscondidere.

DISCUSSIO.

Ego verò indagatis fermè omnibus discrepantium adeò sententiarum fundamentis, non invenio aliam magis verò absimilem, magisque Rationi rectę adversam, quam illam ipsam è Montezinianâ relatione haustam atque derivatam opinionem. Sentiunt mecum Virorum eruditissimi, & Jo. de Laet Grotio hâc in parte adversatur minimè. Genebrardus saltem id à nemine ante se observatum, ut solet, insolenter miratur & jactat. Ast non minus inepta est ista opinio de origine Ameri-

canorum Iſraelitica, quam ea, quæ tradit primos ejuſdem Americæ incolas eò perveniſſe, gradientes per Inſulam Atlantidem, ab occiduis Africæ oris (ut ajunt,) olim ad ipſius Americæ fines pertingentem, de qua Plato in Timæo fabulosè multa refert, certiſſimum enim eſt nec talem Inſulam hodie extare, nec à Geographis antiquis, uſpiam ejuſmodi terminis fuiſſe deſcriptam. Quæ verò Joſ. à Coſtâ Lib. I. c. 6. origini Judaicæ opponit, paulò leviora ſunt, nec ſolidè eandem deſtruunt; videl. (1.) Hebræos Literis ſemper uſos fuiſſe; inter Americanos verò nullum earum reperiri veſtigium. (2.) Hebræos numorum ſemper fuiſſe cupidos, Americanos non item. (3.) Circumciſionem, Catholicum Ebræorum Symbolum, in America nuſpiam fuiſſe deprehenſum, (quę ratio fortè alicujus eſſet momenti.) (4) Judæos ſemper & ubique Locorum conſervaſſe Linguam & antiquitates ſuas; quomodo fieri poſſit, ut in ſolâ Americâ obliti fuiſſent generis ſui, Legis, ceremoniarũ, Meſſiæ, & totius Judaiſmi? Sed majoris ponderis & momenti argumenta illa ſunt, quæ à migrationis adeò longinquæ impoſſibilitate, reclamante Scripturæ pariter ac Hiſtoriarum aliarum fide, argumentorum ab adverſâ parte

produ-

productorum infirmitate, vulgari denique Judæorum quævis fingendi libidine petuntur. Hic noster deinceps labor, hæc porrò studia, hoc subsequentium pagellarum argumentum. Quænam igitur sententiæ illius prodigiosæ de Origine Americanorum Israelitica sunt fundamenta?

MENASSE BEN ISRAEL

Sect. III. p. 22.

Primum fundamentum istius opinionis sumitur ex IV. Esdræ, cap. XIII. (quem licet Apocryphus sit citamus tamen ut antiquum.)

DISCUSSIO.

Omninò miramur, tantam fidem huic à MENASSE tribui pseud-epigrapho, cum illustria adeò de Salvatoris nostri Deitate, persona, officiisque testimonia exhibeat, quibus tamen à nullo fermè Christianorum vel infimam emendicare potuit authoritatem. Semi-Christianus ille pariter ac Semi-Judæus Pseud-Esdræani hujus codicis author, salutiferis non minus Christianorum placitis, quam futilibus Rabbinorum fabulis strenuè imbutus, tantum non ἀμφίβιον agere, & utriusque Religionis conclamatam olim harmoniam haud obscurè est meditatus. Legat, relegat, sedulóque per-

vol-

volvat totum huncce codicem qui otio abundat, reperiet sane præter solidiora Religionis Christianæ fundamenta, putida quandoque & inepta Judæorum commenta. Appositissimè Grotius, Dissert. de Orig. Gent. Amer. *Scriptor IV. Esdræ plenus est inanium somniorum, ideoq; ab omnibus rejectus.* Quod inter Hezram Prophetam & Sacerdotem quidam distinguunt, ineptissimum est. Quisquis autem fuerit Pseud-Ezra iste, certe sui generis oblitus est, in Libri statim exordio: quid enim sibi volunt illa, quę vulgata lectio habet principio vers. 2. *filij Achiæ, filij Pinchasi, filij Heli?* atque hoc non dixit Esdras ille genuinus cap. VII. Quem insuper latet Helin, Pinchasum & Achijam non ex Ithamare; Esdram v. ex Eliazare procreatos fuisse. Quis ullã igitur Libro huic deinceps fidem arroget, qui in ipso statim limine enormes adeò errores, manifestaque mendacia animadverteret, nec quenquam illius obstringit authoritas (si quæ in crassa adeò nævorum colluvie) quo minus ad lidium veritatis lapidem sermones ejus examinare queat. Nec Genebrardum Christianum testimonio hocce (Chronograph. p. 159.) superbientem miramur, quam Ebræorum ævi sui Coryphæum MENASSEN ben ISRAEL, qui si tempestivè recepisset sparsa in

sa in illo volumine doctrinæ salvificæ semina, magis sollicitus fuisset de extirpanda Judaica (quam producit) zizania; dum verò conculcatis illis, hanc duntaxat alere constituit, primum statim, sicque facile præcipuum opinionis suæ corruit fundamentum. Quale?

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid.)

Ubi dicitur, quod Decem Tribus, quas Salmanasser captivas abduxit

INTERPELLATIO.

Cur callidè quæso Menasseh dissimulat illum DEI FILIUM, quem Pseudo-propheta vidit *colligentem aliam ad se multitudinem pacificam, QUAE DECEM TRIBUS SINT, quas Salmanasser abduxit, &c.* Ille ipse verò Dei filius est, de quo ejusd. Libri cap. VII. v. 28. extat: *Revelabitur enim FILIUS MEUS JESUS, cum his qui cum eo sunt; & judicabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis*, & v. 29. *post annos hos morietur FILIUS meus CHRISTUS, &c.* conf. cap. XIII. 32. Nonne allegati illius loci pudet Judæum? Sed audiamus integrum.

MENASSE BEN ISRAEL

Ubi dicitur, quod Decẽ Tribus, quas Salmanasser captivas abduxit sub Regno Hoseæ inde trãs Euphratẽ, consti-

constituerint in alias ire Regiones, longius remotas, in quibus nunquam habitasset quispiam, quo magis meliusq; Leges suas observarent.

Discussio.

Antequam itineris hujus Israelitici descriptionem paulò accuratius perpendamus, minimè ab instituto hocce erit alienum, si primò ostenderimus, quam apertè eadem contraveniat non Scripturæ solum Canonicæ, verum omni etiam Historiæ atque Geographiæ Judaicæ, nec non rectæ sanæque Rationi.

Ac primò quidem manifestè testantur Historiæ Sacræ, (II.Reg.XVII.23.cap.XVIII.11. 1.Paral.VI.26.) Israëlitas in Assyriam transportatos, & in Chalachum, Chaborem, Haram & Nehargazanem IN EUM USQUE DIEM fuisse abductos. Si itaque sacræ Historiæ veritatem constanter sequendam judicaverit Menasse, fieri non potest, quin pro certissimo habuerit, Decem illas Tribus ab Assyriorum Imperatore abductas, in Regionibus haud ita longinquis hæsisse, & ejusd. decreto, sedem constantem ibidem collocâsse. Quid igitur opus est, ut ad incognitas prorsus Terras relegentur ij, quos Scriptura aperte intra Mediæ & Assyriæ terminos permansisse perhibet? Quàm bellè

bellè verò Pseud-Esdra hic respondet Magno illi Israëliticæ Gentis Magistro, ESDRÆ vid. genuino, quem non solùm R. David Kimchi & R. Salomon ex Sententia Seniorum, sed ipse etiam Menasse, Sect. XXI. p. 70. expressis verbis Chronicorum authorem pronunciat, quo stante, manifestum est, Decem illas Tribus ex Assyriâ nondum migrasse, cum iste Liber adornaretur, ad *eum enim diem* in Terris illis habitasse perhibentur. Sed Paralipomenon Libros post Babylonicam demum captivitatem fuisse conscriptos, exinde patet, quod circa Secundi Libri finem Cyri Monarchæ, ipsiusque edicti de Judæorum dimissione, & Hierosolymorum restitutione fiat mentio, ijsdem fermè verbis, quibus primus adeoque genuinus Esdræ Liber inchoatur. Qui itaque Pseud-Esdræanum illum Quartum suspiciunt, mirantur, & pro divino agnoscunt, ex hoc saltem loco, quo spiritu isthæc allata sint colligant, cum verba ista veritati divinæ ab ipso Esdra traditæ, prorsus repugnent atque adversentur. Tempore igitur Esdræ neutiquam migrarunt. Sed nec ætate Josephi: utpote qui Antiquit. Lib. XI. cap. 5. narrat, suo tempore ultra Euphratem, in innumerabilem multitudinem auctos fuisse Israëlitas, verba hæc sunt: ὁ δὴ πᾶς λαὸς τῶν

Ἰουδαίων.

ἰσραηλιτῶν, καὶ χώραν ἔμεινε. διὸ καὶ δύο φυλὰς συμβέβηκεν ἔτι τε τῆς ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης, ῥωμαίοις ὑποκειμένας. ΑΙ ΔΕ ΔΕΚΑΦΥΛΑΙ ΠΕΡΑΝ ΕΙΣΙΝ ΕΥΦΡΑΤΟΥ ΕΩΣ ΔΕΥΡΟ ΜΥΡΙΑΔΕΣ ΑΠΕΙΡΟΙ, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυναμέναι. i.e. *Reliqua Israelitarum multitudo, assuetum jam domicilium noluit relinquere; quapropter duæ tantum tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt Imperio: DECEM AUTEM TRIBUS NUNC QUOQUE ULTRA EUPHRATEM SUNT, infinita hominum millia, quæ vix numero comprehendi possunt*: Quid clarius quæso aut evidentius hoc Josephi testimonio, Pseud-Esdræanæ relationi per omnia adversо. Juxta illum igitur noluerunt tempore publicæ Liberationis assuetum suum relinquere domicilium, multò minus certè (ex mente Pseud-Esdræ) alias longiusque remotas petere Regiones, in quibus nunquam habitasset quispiam. Idem Josephus Procem. Libb. de Bello Judaico, narrat, Animum Judæis fuisse additum, ἐπειδὴ ἅπαν τὸ ὑπὲρ Εὐφράτην ὁμόφυλον ἡμῖν συνεπαρθήσεσθαι σφίσιν ἤλπισαν. *Quoniam cunctos etiam, qui TRANS EUPHRATEM essent, Gentiles suos, secum rebellaturos crediderunt.* Et Agrippa in oratione ad Judæos Hierosolymitanos habita, ne adversus Romanos insurgant, (apud eun-

dem

dem Lib. II. de bello Jud. c. 16.) πνας ἔν, (inquit) ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐκ τῆς ἀοικήτου ἐκλήψεσθε συμμάχους; οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς οἰκουμένοις πάντες εἰσὶ ρωμαῖοι. ΕΙ ΜΗ ΤΙΣ ΥΠΕΡ ΕΥΦΡΑΤΗΝ ἐκτείνει τὰς ἐλπίδας, καὶ τὰς ἐκ τῆς ἀδιαβηνῆς, ὁμοφύλους οἴεται προσμένειν, h.e. *Quos igitur in bella de solitudinibus aliquibus socios assumetis? siquidem omnes, qui in orbe habitabili degunt Romani sunt; nisi forte quis vestrum spes suas ultra EUPHRATEM porrigat, & Adiabenarum Regionum gentiles, suos æstimet adjutores.*

Nec tempore *Benjaminis* Tudelensis (qui ante D. annos bonam orbis habitabilis partem perlustravit,) de loco suo moti fuerunt. Ubique ille Israeliticarum reliquiarum hinc inde dispersarum meminit. Illustris cumprimis locus (quem cum alijs subseq. non eum in finem adscribimus, ut authoritatem illius, supra jam elevatam, defendamus; sed domestico quodam teste Menassen convincamus, & proprio quod ajunt gladio jugulemus,) occurrit Itinerar. p. 90. ubi narrat Benjamin, se in Ariam & Haphton, Israelitarum à Salmanassare abductorum posteros, magno numero reperisse, verba hæc sunt: ומשם המשה ימים לעאריה ושם כמו המשה ועשרים אלף מישראל והיא תחלת חקהלות הדרי בהרי חפתון

חפתון כי שם יותר ממאה קהלות מישראל
והיא תחלת ארץ מדי והם מן הגלות הראשון
שהגלה שלמנאסר המלך והם מדברי בלשון
תרגו ובניהם תלמידי חכמים: h.e. *Exinde quinq; dierum itinere Ariam devenitur, in qua viginti quinq; propemodum ISRAELITARUM sunt Millia: Estq; initium illorum agminum, quæ in Montibus Haphton degunt; nam ibid ultra centum Israelitarum cœtus commorantur, (estq; Mediæ principium,) Hi captivitate priori à Salmanasſere Rege deportati fuêre, & Chaldaico idiomate utuntur: è quibus etiam nonnulli Sapientiæ navant operam.*

Adeò manifeſta hæc ſunt, ut ſalva Benjaminis apud Judæos authoritate, cum Pſeud-Eſdræana illa relatione, nunquam ſtare poſſint. Quod verò Benjamin de Mediæ initio addit, non ſolum cum v.6. cap. XVII. II. Reg. verum etiam Joſephi Hiſtoria (Lib. IX. c. 14.) convenit, ubi hæc verba reperiuntur: Καὶ τὴν Ἰσραελιτῶν ἡγεμονίαν ἀρδὴν ἠφάνισε, καὶ πάντα τὸν λαὸν μετώκισεν εἰς τὴν ΜΗΔΙΑΝ καὶ Περσίδα. h.e. *Extinctoq; funditus Israelitarum Imperio, populum traduxit (ſc. Salmanaſſer) in MEDIAM & Perſidem.*

En verò alium Benjaminis locum, quo quatuor Iſraelitarum Tribus (nimirum Dan, Zabulon, Aſer, & Naphtali) in finibus Perſiæ ad montes Niſebor, juxta flumen Gozan habitare p. 97. per-

perhibet, h.m. ומשם מהלך כח׳ יום להרי
ניסבור אשר על נהר גוזן ויש שם אנשים
מישראל בארץ פרס שהם משם ואומרם כי
בע״י ניסבר ארבע״ה שבטים מישרא״ל שבט
דן ושבט זבולן ושבט אשר ושבט נפתלי הגולה
הראשונה שהגלה שלמנסר מלך אשור כמו
שכתו׳ ויגלם בחלח וכחבר נהרגוזן וע״י מדי:

h.e. *Hinc* (videl. à terminis Persiæ) *viginti octo dierum itinere ad montes Nisebor devenitur, qui sunt juxta fluvium Gozan Israelitæ inde in Persiam delati, narrant, in Civitatibus Nisebor* QUATUOR TRIBUS *esse superstites, videlicet Dan, Zabulon, Aser, & Naphtali, priore captivitate à Salmanassare Rege abductas juxta II. Reg. cap. XVII. 6. deportavit eas in Chalach, & Chabor, flumen Gozan, ac montes Mediæ.* Fortè regeri posset, non omnes Israëlitarum Tribus longinquam illam migrationem suscepisse, verum unam duntaxat vel alteram, reliquas permansisse; sed omninò reclamat ad raucedinem usque Pseud-Esdra: DECEM (ait) *Tribus quæ captivæ factæ sunt,* (ad-eoque quicquid captivitatem subierit,) *in alias Regiones ire constituerunt, in quibus nunquam habitasset quispiam, &c.* Nec me latet à Benjamine dissentire *Eldad Danitam* in Libello suo de Tribubus Israelitícis, ubi Dan, Naphtali, Aser & Gad in antiqua Havila latere narrat his verbis:

הללו ד׳ שבטים דן נפתלי גד ואשר הם חונים
בחוילה הקדומה אשר שם הזהב: *Hæ quatuor Tribus, Dan, Naphtali, Gad & Aſcher, degunt in antiqua HAVILA, ubi aurum reperitur.* Non meum eſt fabulatores illos invicem conciliare, ſed manifeſtum duntaxat utriuſque à Pſeud-Eſdræana illa relatione, & Menaſſis ſententia diſſenſum oſtendere, uterq; loca à ſe luſtrata ſcribit, qua veritate videant illi, qui pro utriuſque authoritate dimicant. Idem Eldad Danita, Rubenem alibi apud Zebulonem collocat. Ad Benjaminem redeo, qui Tribum Ruben, Gadis, & dimidiam Menaſſeh ex communi traditione Cebarem incolere p.84. narrat. En verba! ומט״למאס לכיבר״ שלשה ימים ואומרים
בני אדם שהם שבט ראובן וגד וחצי שבט
מנשה ששבם שלמנאסר מלך אשור: h.e. *Tilimaſſe Tribus diebus Cebarem pervenitur. Vulgò hic eſſe Tribum Rubenis, Gadis & dimidiam Manaſſis ferunt, quas Schalmaneſer Aſſyriæ Rex captivas duxerit.* Plura Benjaminis loca proferre poſſem, quibus Iſraelitarum paſſim meminit, ni ex allegg. migrationis illius NOΘEIA abunde appareret. Oſtendi itaque illam ante Benjaminis tempora minime fuiſſe ſuſceptam. Poſtea verò h.e. ſeculis quinq; ſuperioribus, illuſtrem adeò migrationem accidiſſe, nmo facilè affirmabit.

Quam egregiè etiam longinqua illa Iſraelitarum in Americam migratio, reſpondeat trito atque vulgari Judæorum de fluvio Sabbathico (qui juxta plerosq; in Media) figmẽto, nemini obſcurum erit. Sic expreſſis verbis legitur in Bereſch. Rabba Sect. LXXIII. לא למקום שגלה עשרת השבטים גלה שבט יהודה ובנימין עשרת השבטים גלו לפנים מן נהר סמבטיון שבט יהודה ובנימין מפוזרים בכל הארצות: i. e. *Non ad locum in quem deportatæ ſunt decem Tribus, deportata quoq; eſt Tribus Juda & Benjamin. Decem Tribus deportatæ ſunt antea ultra fluvium Sambatjon, Tribus Juda & Benjamin diſperſæ ſunt in omnes Terras.* Et R. Salom. Jarchi ad illud Jeſajæ, *qui perierant in Aegypto*, c. 27. 13. ſcribit לפי שנפוצו מארץ רחוקה לפנים מן הנהר סבטיון קראם אובדים: i. e. *Eo quod diſperſi fuerunt olim ex Terra longinqua ultra fluvium Sabbatjon, vocat eos perditos.* Si itaque Decem Tribus ultra fluvium Sambatjon (ex Judæorum ſententia) delati ſunt, quomodo quęſo Terræ ab eodem remotiſſimæ (& juxta Menaſſen Americanæ,) ijsdem aſsignari poſſunt? Et cum in Talm. Sanhedr. cap. X. ſub fin. in tria exilia miſſi dicantur Iſraelitæ, (primo ultra fluvium Sambatjon, deinde in Daphnem, Antiochiæ ſuburbium, tertio quando nubes ſuper

ipsos descendens, texit eos,) nulla prorsus remotissimarum adeò Regionum mentio occurrit, quam Talmudistæ certè nullatenus præteriissent, si per febrem aut somnium saltem illa iisdem in mentem venisset.

Non solùm autem non migrarunt, sed nec migrare etiamsi vel maximè in animo habuissent,) potuerunt. Abjectæ illæ & dispersæ Israelitarum reliquiæ, durissimum tunc captivitatis Assyriacæ jugum subierant; anne unquam Salmanasser cum suis permisisset deportatę Gentis discessum? Data sane opera eandem in diversas Imperij sui partes distribuit, Chaborem videl. Chalacham, Haran & Nehargazanem, ne tale quid unquam moliri valeant, nonne seditionem congregatione tali factâ metuisset, ac tempestivè rebus suis consuluisset? Promulgata verò posteà in universo Cyri Imperio Populi Israelitici dimissione, quis quæso reliquias illas Decem Tribuum adeo stolidas fuisse credat, ut spreto hocce beneficio, constituerint in alias ire Regiones, longius remotas, in quibus nunquam habitasset quispiam? Sua quoque Legitima longè felicius in ipsa Palæstina observare potuissent.

His itaque præmissis, de ipso itinere quædam adjicienda restant, è quibus Relationis illius Pseud-

Esdræanæ falsitas magis magisque apparebit. Accede *Via*(1)sollicitis, duplex se ex Assyria in *incognitas* illas Regiones (per quas Menasse Americam intelligit,) se obtert; altera quæ ad Orientem vergit, altera ad occidentem, ambæ quidem longissimæ, posterior tamen multò prolixior. Si ergò per viam orientalem, nonnihil ad Septentrionem flectentes tanquam breviorem, faciliorem & commodiorem perrexerunt, nulla transfretatione miraculosa (quam Pseud-Esdra refert) opus fuit, præsertim si juxta sententiam Ariæ Montani Asia nullo mediante freto cum America copulatur, & quod Menassi (Sect. XXXVIII.) non absurdum videtur, Israelitæ terrestri itinere Americam petierunt; Sin verò (Geographis affirmantibus,) inter Asiam & Americam fretum est Anjanum, brevi ejusdem transitu, ad Novi Orbis Regiones pervenire potuissent, nec opus cum Menasse ad miracula statim confugere; Deum scil. qui servare suos voluerit, inter alia etiam hoc præstitisse, ut terra inundaretur ubi fretum Anjanis est; Si itaque iter tale ponamus, (concedamus verò minime,) non opus fuisset transire Euphratem, quem in Assyria existentes, habebant ad occidentem, falsa sic rursus esset Pseud-Esdræana

Narratio, perhibens Altiſſimum ad eorum tranſitum mirabiliter venas fluminis ſiccaſſe. Si autem per viam occiduam Euphrate transmiſſo incedere maluerunt, neceſſe fuiſſet univerſæ Syriæ, Arabiæ, Africęque latitudine peragrata, ad Atlanticum uſque oceanum, & eo longa navigatione transmiſſo, tandem ad Americam perveniſſe; vel ab Aſſyriâ ad occiduos Syriæ fines, terreſtri itinere, mox navibus totâ Mediterranei maris longitudine, uſque ad freti Gaditani exitum emenſa, inde per vaſtiſſima, & tunc minimè cognita oceani maria, ad Novi Orbis oras poſtremò appuliſſe. Cùm verò codicis illius author, in memorati itineris narratione, nullius prorſus nautici trajectus meminerit, tam longinquam autem populi navigationem minimè prętерire potuerit, manifeſtum eſt præfatas decem Tribus, ad Novi Orbis plagas nunquam transmigraſſe. Addo & illud, quod tunc ijſdem, æque ac Orbi reliquo, Terræ illæ fuerint incognitæ.

Sin verò nihilominus viam Occiduam defendant migrationis illius adſertores; Quomodo quæſo tranſitum per ferociſſimas & potentiſſimas Nationes ſtabilire poterunt, quas nec Aſſyrij nec Perſæ ſubjugare valuerunt. Quorſum enim ſe verterent miſeræ & inermes reli-

reliquiæ, triſti ſervitutis jugo ſubditæ, perque hoſtium Regiones variè diſperſæ atque diſſipatæ, impoſsibilis erat reditus, inexplicabilis verò proceſſus. Aut enim revertendo, invincibiles hoſtium copiæ erant perrumpendæ; aut progrediendo, teterrima univerſæ Scythię movenda fuiſſet Camerina, & infinitæ potentiſsimarum Nationum phalanges expugnandę pariter ac profligandæ. Ac ſi hæc omnia tandem fuiſſent ſuperata

Quâ (2) *alite*, quove conſilio in Terras illas incognitas pervenêre? forte id factum auſpicijs Cretenſis cujusdam Moſis, cujus Hiſtoria turpiſsimum Genti Judaicę inuſsit ſtigma, quo de Auctor Schalſchelet Haccabalah: אחר החרבן קם איש א" שהיה נקרא בר כוכבא שכן דרשוהו על פסוק דרך כוכב באיכה רבתי ואחר כך לפי שמרד בקיסר אדריאנו קראותו בן כוזיבא מלשון שקר וכזב ועשה עצמו משיח: i.e. *Poſt excidium ſurrexit Vir quidam qui appellabatur Barcoceba, exin quod myſticè de illo explicarent dictum Num. XXIV. 17. Orietur Cocab ſive ſtella ex Jacob, in Medraſch Echa rabati. Poſtmodùm autem quia rebellavit adverſus Cæſarem Adrianum, nuncuparunt eum Ben Coziba, ſive filium MENDACII, & fraudis. Ipſe ſe fecit Meſſiam, &c* vid. inſuper Talm. Tit. Sanhed. fol. 93. 2. & 97. 2.

Gittin fol.57.1.Talm.Hierosol.Taanith.fol.68. & 69.Auctor צמח דוד ad ann.880. Millen.4. adde observat.*G.Vorstii* p.290.nec non *Juchas. Zacuthi* p.32.35.& 142.item Librum *Meor Enajim* cap.XII. pag.68.col.2. Memoratur etiam in Hist.Eccl.Lib.XIV.c.6. & ap.*Justin.* Philos. Apol.II. p.146. & apud *Hieron.* Apol. contra Ruffinum,Lib.III.c.9. Adde *Sepher Nizzachon* p.137.184.Celeberr.*Buxtorffij* Lex.Talm.Rad. כזב p.1027.& Synagog.Jud.c.36.p.440. *Druf.* Quæs. per Epist.p.93.& *Cl.Voisen* Not.ad *Reim. Martini* Pug.fidei pag.212. De aliis Judæorum Impostoribus vid. *Schebet Juda* Num.XXXI. &XXXII.p.25.seqq.&*Vorstij* observat.ad צמח דוד p.294.seqq. Siccine igitur paribus auspiciis, à promontorio Mediæ initio itineris facto,adexemplum Populi ex Ægypto exeuntis, per vastissimas Maris Indici Gurgites, perque immensas tot terrarum Gentiumque fortissimarum difficultates, in Terris illis incognitis DECEM TRIBUS appulerunt? Quomodo deniqueEuphratis freta superarunt? En! portentum ingens,quod universi Orbis (si accidisset,) stuporem provocasset, illud v.ex Pseud-Esdrâ narrat

Me-

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid.)

Trajicientibus Tribubus itaq; freta quædam Euphratis, Deus miracula exhibuit, cursum fluminis sistens, usque dum transfretassent.

DISCUSSIO.

Miraculis itaque opus fuit ad illustrem adeò Argonautarum Americanorum expeditionem! Sed tale quid accidisse, nulla fide digna Historia, ne dum sacrum quoddam monumentum docet. Anne Orbem universum latere potuisset transitus ille admirabilis, Ægyptiaco aut Jordanico si non præferendus, certè æquiparandus? Nec favore divino tunc gaudebant, à Summi Evergetæ facie, ob immensam peccatorum multitudinem, rejectæ tum reliquiæ. Quis credat inter horrenda supremi vindicis judicia, exhibitum fuisse splendidum adeò summæ benevolentiæ documentum? Et quis quæso de tanto miraculo Decem illas Tribus reddidit certiores, priusquam initum de migratione adeò longinqua consilium dederunt effectui? Inepti fuissent, si tale quid unquam sibi promisissent. Nullus tunc Moses, miraculosæ adeò liberationis miraculosos exhibuit prodromos. Anne deniq; Scriptura tacuisset,

cuiſſet, anne Joſephus ? nemini profectò cum Pſeud-Eſdra ſuo hoc perſuadebit Menaſſe, quid verò aliis ? vix ſibi ipſi. Sed quorſum tandem quæſo pervenêre, tanto prodigio ſublevatæ Tribus, in qua Terra, qua item Regione ſubſtitêre ? Reſpondet ex Pſeud-Eſdræano codice

MENASSE BEN ISRAEL

Regio iſta vocatur ARSARETH.

DISCUSSIO.

Quis unquam præterea *Regionis Arſareth* meminit ? Sed en fraudem ! ARSARETH, Hebraicè הר שארית *Mons reliquiarum* exponitur, aut ſi mavis עיר־שארית *Civitas Reliquiarum*, ab imaginariis videl. Decem Tribuum reliquiis, quæ eò uſque perveniſſe dicuntur, exantlato vel ementito potius anni unius ac dimidij itinere, ſicut Pſeud-Eſdras velut Beton aliquis memoriæ prodidit. Conjectura Tremellii, (Arſareth, pro ארץ Ararat, ſeu Regione Armeniæ venditantis,) locum hic nullum habere poteſt. Iſto autem Reliquiarum nomine frequenter Gens Iſraelitica olim & hodie deſignata fuit. Reperio quidem in fictitiis Beroſi fragmentis (Lib. III.) & Ptolemæi Tabulis (Geograph. Lib. V. c. 15. & in Tab. III. Aſiæ)

siæ) civitatem quandam ΑΡΣΑΡΑΤΑ, ad ostia Araxis, in Mare Caspium se exonerantis sitam; REGIO tamen à nemine antea habitata, & octodecim mensium (à promontorio Tabin,) itinere remota, civitati huic respondet, sicut Terra peculiaris Arsareth dicta, Geographiæ. E qua neutiquam obscurum est, agrum Arsaratenum in ipsa Media esse situm; Atropatenes enim pars est, & cis Araxem omnem Mediam versus jacet: Araxem verò Atropatenem ab Otene provinciâ Armeniæ, ætate sua fuisse separatum, testatur Plinius Lib. VI. c. 13. Ptolemæi autem tempore, Armenij illos Medorum terminos invaserunt, urbemque & tractum Arsaretanum legitimis Dominis eripuerunt. Haud difficulter concedo, Israelitas à Gozane fluvio, inter populos finitimos (absque dubio Caspios,) ad extremos Mediæ terminos, versus Septentrionem, proximè Araxen fluvium, dispersos postmodum fuisse, sicque celebratam Ptolemæo Urbem Ἀρσαράτα incoluisse, verum mirabilem illam migrationem in REGIONEM quandam Arsaretanam, ab Assyria octodecim mensium itinere distantem, tantumque non toto penitus Orbe divisam, susceptam fuisse, ab omni veritate abhorret.

Non minùs proscribimus laudatam à MENASSE

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [89] - 61
PUBLIC DOMAIN

nasse Genebrardi sententiam, qua docere vult Arsareth esse *Tartariam* Majorem, ac inde Israelitas abiisse in Grœnlandiam, exindeq; transire potuisse per fretum Daves, in Terram Labrador, (quæ jam Indorum sit), distantẽ inde quinquaginta milliaribus. Non diffitemur, multos Magni Nominis Viros phantasia hâc fuisse correptos, nimirum DECEM TRIBUS ex Persida & Babylonia, in Mediam Hyrcaniâm & Bactrianam, inde per vasta Scythiæ, in extremum angulum, ubi Americæ Asia imminet, delatas, in TARTARORUM Gentem coaluisse, incultas tunc Regiones excolendas suscepisse, ab iisque prodiisse partim Colchos, (Herodoti tempore circumcisos,) partim prædictos Tartaros, qui circa annum D. MCC. Duce Cingi terræ faciem inundarint, indeque paucorum seculorum spatio, potentissimum illud Chami Imperium in Asia constituerint. Placuit hæc sententia *Genebrardo* Lib. I. Chronogr. *Postello*, Descript. Syr. c. 1. *Botero* Relat. p. I. Lib. II. & p. III. Lib. II. cap. de Gvidei, & Chil. Mornæo, Cap. XXXVI. de Verit. Relig. Prist. tantopere, ut rationes ad eandem stabiliendam undecunque petierint, quas hâc occasione breviter discutiemus. Urgetur I. Vocabulum Syriacum תותר, quod Reliquias seu Resi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [90] - 64
PUBLIC DOMAIN

Reſiduos ſignificet, unde *Tartari* vel rectius *Totari* dicti ſint. Etſi verò non prorſus ineptè nominis hujus Etymon à Syris petatur, cum iiſdem pariter ac Aſſyrijs, Tartari non niſi Armenia ac Media interjecta proxime immineant, quin & magnis olim incurſionibus Tartari Syriam devaſtarint; Certum tamen eſt, illos hoc nomen neque ab Hebraico, neque Syriaco Etymo accepiſſe, ſed fluvio TATARO, vel etiam à Provincia TATAR, quam Primates illorum olim inhabitarunt, vid. Haython: Lib. de Tartar. C.XVI. Porrò nomen תותר aut תאתר reliquias notans, Tartaris minimè reſpondet, utpote qui numero & multitudine Gentes etiam vaſtiſſimas ſuperant, omnes enim Nationes à fluminibus Wolga & Obii ad ortum, & à Caſpio mari ad fluvium Oxion, Tartarorum nomine comprehenduntur. Itaque quum manifeſtum ſit, Tartarorum Gentem, omnium fermè quos Terra alit, numeroſiſſimam eſſe, (præſertim ſi Regiones Indiæ & Chinæ eó quoque referantur,) appellatio Reliquiarum certe eidem minimè competit, Cum redundante enim Tartarorum Natione omninò pugnat reſtricta *Reliquiarum* appellatio, diminutionem potius quam abundantiam notans. Accedit quod תותר Syris propriè ſit

τὸ

τὸ περίσσευμα, seu id quod *redundat*; Vocem illam hoc sensu adhibuit Paraphrastes, Mat. 12. 34. dum Christi verba ἐκ τοῦ περισσεύματος) reddidit: *Ex redundantia cordis, os loquitur, &c.* Cui respondet nomen יתירותא *abundantia*, Luc. 12. 15. & יתיר amplus, abundans, copiosus, Luc. 15. 17. quæ significatio Tribubus Israeliticis, captivitatis jugo *diminutis*, minimè convenit. Reliquias verò seu Residuum (Græce λῆμμα,) Syri שרכנא appellant, Rom. 11. 5. II. Etiam hic adducitur Locus IV. *Esdræ* c. 13. quorsum referenda sunt ea, quæ de eodem jam jam annotavimus. III. Quidam se reperisse putant Tribuum Hebraicarum nomina inter Hordas Tartarorum, qua ad Septentrionem vergunt, videlicet *Dan, Zabulon, & Nephtali*, verum illa non tam Hebraica, quam vetera sunt Scythica, quod à Viris eruditis hactenus abunde ostensum atque declaratum. Denique IV. certissimum sententiæ illius fundamentum in Tartarorum *circumcisione* quærunt, cum tamen notissimum sit, eandem apud illos neutiquam esse Muhammedismo antiquiorem, sed cum eodem ab illis receptam, teste etiam *Michovio de Sarmat Lib. 1. c. 5.* Antiquitus autem circumcisi neutiquam fuerunt, & hodienum etiam non nisi ab iis qui Muhammedicam Religionem

gionem sectantur, usurpatur. Et M. Paulus Venetus, qui totos 17. annos in aula Magni Chami versatus, eique intimus factus, multa de Tartaris annotavit, de illorum tamen circumcisione ne verbum injicit, hoc tradit, eosdem vetusto instituto Idololatras fuisse, Numenq; quoddam fictitium *Natigai*, (quod eorum lingua *Deum Terræ*, significat,) coluisse, (Lib.III.cap.47.) Siqve vel maxime circumcisio antiquissimo in usu apud eosdem fuisset, neutiquam tamen originem Tartarorum Israeliticam firmiter stabiliret, quia notissimum est, consuetudinem illam olim pariter ac hodie apud infinitas Gentes fuisse observatam, quo de infra prolixius erit differendum. Nunc ad Menassen nostrum redeamus, percepturi, quid ex Pseud-Esdræana illa relatione porrò colligat.

MENASSE BEN ISRAEL

Sect.III.p.23.

Unde colligere est, X. Tribus iviſſe in Novam Hiſpaniam, ac Insulam Peru, & duo ista Regna hactenus habitatoribus destituta, occupasse.

DISCUSSIO.

Ne levissima veritatis specie, ne unico quidem probabili argumento. Miror sanè Virum

eruditum ſive Montezinianam relationem, ſive hanc ſuam de origine Americanorum Iſraeliticâ opinionem, tanti feciſſe, ut abſurda adeò conſequentia utramque confirmare non dubitaverit. Si enim vel maximè Pſeud-Eſdræana illa relatio admitteretur, quis quæſo exinde colligere poſſet: Ergò non alias Terras præter novam Hiſpaniam & Inſulam Peru petierunt? Quærimus inſuper: quomodo tanta hominum copia, terreſtri itinere in Americam, eâ parte Mari cinctam, pervenire potuerit? Deprehendit omninò hanc difficultatem Genebrardus, ideoq; per Tartariam Majorem in Grœnlandiam potius, quam Americam, Iſraëlitas perveniſſe ſtatuit.

Menasse Ben Israel,

Sect. III. p. 23.

Eadem Decem Tribuum in Indiam transmigratio confirmatur eo, quod P. Malvenda refert; Arſareth nimirum eſſe illud promontorium, quod eſt confine Scythiæ ſive Tartariæ, mari imminens, Plinio Tabin dictum.

Discussio.

Sic tota narratio Pſeud-Eſdræana in fumum abit, & ab illo, cujus patrocinium ſibi promiſit,) rejicitur apertiſſimè. Quomodò? Ait Pſeud-

Pseud-Esdra, Arsareth esse *Regionem* illam *incognitam*, à nemine antea habitatam, octodecim mensium itinere ab Assyria distantem, in quâ Israelitæ post longinquam adeò migrationem habitaverint; Menasse verò Arsareth (cum Malvendâ) illud nuncupat promontorium, quod est non Scythiæ solum, verùm etiam illis Regionibus in quas Israelitæ abducti fuerunt à Salmanassere, confine, Plinio Tabin dictum. Quâ arte hæc conciliari invicem possint, rursus minimè apprehendo, scil. Arsareth simul esse terminum à quo discesserunt Israelitæ, & ad quem etiam exantlato octodecim mensium itinere pervenerunt. Destructo itaque primo Opinionis illius fundamento, audiamus quid porrò ad eandem stabiliendam afferat

MENASSE BEN ISRAEL.

(SECT. IV. p. 24)

Opinionem hanc fulcit, quod in Insula S. Michaëlis, quæ est Azorum, ad Novum Mundum spectantium, invenerint Hispani sepulchra subterranea cum Literis Hebraicis admodum antiquis.

DISCUSSIO.

Deperditas Tribus Menasse nunc quærit in Azoribus, inque Insula S. Michaelis, ad-

versa sane tempestate eò delatus. Quis verò pro Israelitarum in Americam migratione, argumentum petere auderet ex Azoribus? Quis non ita arguentem rideret: In Hispania præcipitante seculo superiori, anno videlicet ciɔiɔxcvi. mense Aprili, è monte Illipulitano erutæ sunt Inscriptiones quædam Arabicæ; (imperitè pro literis Salomonis habitæ, ad quarum explicationem Præsul Hispalensis invitavit Thomam Erpenium,) ergo Hispani originem debent Arabibus, vel quod magis absurdum: ergò Galli etiam aut Italicorum quoque sunt coloniæ, talis omnino hæc est collectio: In Insulâ S. Michaelis repertæ sunt Inscriptiones Hebraicæ, ergò Hebræi non illam solum, verùm universam etiam Americam (longissimis parasangis ab eâdem remotam,) primi inhabitarunt. Quasi non ex Hispaniâ forte relegati Judæi eò pervenire potuissent, & defuncto fratri quoddam ponere monumentum. Quale?

Menasse Ben Israel

(Ibid.)

מהטם אל שערבין מת דעאל׃

Discussio.

Est illa ipsa inscriptio, quam G. Genebrardus

dus è mendaciſsimi Theveti Coſmogr. (Lib. XXIII. c. 7.) deſcripſit Chronogr. p. 159. Anne verò illa ſpirat idioma Hebraicum? neſcio quale potius peregrinum ſapit, literis Hebraicis expreſsum. Sive enim pro ט ſcribatur ת ut ſenſus ſit: Quam perfectus eſt Deus, Sehalben mortuus eſt, Noſce Deum; ſive cum Genebrardo מה טם אל reddatur: *Quid violavit Deus?* ſive nomen & Patrem defuncti denotet, ita ut pro ם clauſo ſubſtituendum ב h. m:

מהטבאל שעל בן מתרעאר:

MEETABEL SEAL, FILIUS MATADEL;

Sive alia quædam lectio fingatur, nullus Hebrææ Linguæ conveniens ſenſus elicitur. Talem verò Inſcriptionibus hujuſmodi inferre, ubi non ſponte ſuâ eundem reddunt, luſus potius ingenii eſt. Nec voces nec phraſes ſi aliquid ſignificant,) Genium ſpirant Judaicum. Multo minus conſtat an hæc inſcriptio ſit perfecta, an verò ex prolixiori ſaltem excerpta? an antiquitatem oſtentet lapis? & quæ ſimilia. Magnus BUXTORFIUS (de hoc monumento à me compellatus,) conjicit, à Chriſtiano aliquo, quali quali literarum Hebraicarum notitia gaudente, animi vel memoriæ gratia, (ut ſæpe in locis hujusmodi fieri ſoleat,)

leat,)seu nomẽ suum,seu aliquid aliud saxoilli incisum fuisse.A Judęo certè qui vel minimam Linguæ suæ cognitionem habet, profecta hæc inscriptio neutiquã est. Quid si vero prorsus confictam & supposititiam eandem nuncuparemus? nihil sanè à veritate dixerimus alienum,quemadmodum ficta hujusmodi Judæorum monumenta passim extant. Talia quædam(proantiquissimis venditatâ) eruta feruntur prope Viennam in pago Gumpendorff, quorum unum annos à Creat. refert MMDLX. nimis sane aperto mendacio, Inscriptio hæc est:

מרדכי גבור הגדול ..... בשנת
מיבריאת עולם א״א ק״ח ס —

MARDOCHAI VIR FORTIS, ET MAGNUS, (mortuus sc.& sepultus est,)
ANNO A CREAT. MUNDI MMDLX.

Adeoque post latam Legem Anno DLX.

Aliud quoddam EPHRAIMI Sacerdotis Epitaphium, in agro quoque Viennensi erutum,annos à condito Mundo MMMDCCCXCIX.exhibet.Sic monumentum illud Judaicum,(pro cujus γνησιότητα pugnat *Villalpandus*, Tom.II.p.II.in Ezech.p.544.)ad Arcis Saguntinæ portam, seculo superiori effossum, & ADONIRAMO Salomonęi ærarij præfecto positum,

ſitum, novitatem, manifeſtè prodit. Eſt autem tale:

זהוא קבר ארונירם עבד המלך שלמה
שבא לגבתאת חמס ונפטר יום .....

H. E. HIC EST TUMULUS ADONIRAM SERVI REGIS SALOMONIS, QUI VENIT UT EXIGERET TRIBUTUM ET MORTUUS EST DIE---

Reliqua, ut & imprimis diem obitus, vetuſtatis injuria periiſſe dicunt. Quid verò de hoc monumento ſtatuendum ſit, hâc occaſione obiter exponemus: I. Ipſe Villalpandus affirmat, Lapidem iſtum undiqúe etiam quæſitum, reperiri non potuiſſe, nec apud quẽquam Scriptorem ejusdem veſtigia ſe deprehendiſſe, præterquam in MSCR. quod apud Gonzagam Mantuanum Epiſcopum aſſervatũ fuerit, quaſi verò præter Mantuanum hunc Epiſcopum nemo illud inveſtigare potuerit. II. Prorſus abſurdum eſt, Tempore Salomonis tantam in Hiſpaniam abiiſſe Judæorum multitudinem, ut Adoniramus ille colligendi tributi cauſa à Salomone eò fuerit ablegatus, nullas ſane cauſas habuiſſent Iſraelitæ, Palæſtinam tunc à Deo vix conceſſam deſerendi, nec hujus rei ſive Sacra ſive alia Judaica Hiſtoria meminit. Et quis III. Adoniramum à Rehabeamo ad ſedandos

rebelles missum, lapidibus obrutum, & in Sichem sepultum fuisse ignorat, 1. Reg. XII. 18. IV. Denique vetustissima Ebræorum monumenta, diem obitus nunquam exhibuerunt, dum igitur vanus quidem homo, Adoniramo Cippum construxit, seculi illius consuetudinem minimè observavit. Talis quoque supposititius ille, in Hispaniâ ostentatus Lapis, cum hac inscriptione:

שארן פקוד נבת מרת לשרו קחו יה .....
והודה עד מלך אמציה .....

Quæ verba etsi ita explicentur, ut ש ab initio denotet שאול *Sepulchrũ*, ארן v. & נבת nomen defuncti, adeoq; reddãtur: SEPULCHRUM ORANI NEBÂTH PRÆFECTI, QUI REBELLAVIT PRINCIPI SUO, ABSTULIT EUM DOMINUS ---- ET GLORIAM EJUS USQUE AD REGEM AMAZIAM — Sensus tamen adeò corruptus est, ut nemo facilè his tricis enodandis tempus perdere debeat. Ejusd. Ἀπιτυμβίς meminit *R. Moses Schemtof*, (aliàs Kalonymus dictus, & è celebri familia Chabhibh oriundus,) in Libello Grammatico Marpe Laschon, illudque se reperisse ait in excelso quodã mõte, cum ipsius AMAZIAE Ἀπιγραφῆ rythmica: שאו קינה בקול מרה
לשר גדול לקחו יה לאמציה:

h.c.

h. e. *Edite planctum voce amarâ, quia Deus magnum Principem Amaziam abstulit.* Quis verò unquam illum in Hispaniâ sepultum affirmaret, quem juxta com. 20. cap. XIV. Lib. II. Reg.) à conjuratis in Lachis oppressum, & Hierosolymam reductum, in civitate David conditum constat? Quanta difficultate laboret Capelli conjectura, (à *B. Waltono* Apparat. ad Bibl. Polygl. Prol. III. p. 22. approbata,) quâ statuit, Judæum hic sepultum, fuisse servum cujusdam Amaziæ, Reguli Maurorum (qui per Hispaniam multis annis regnaverint,) erudite ut solet, ostendit Celeberrimus Hottingerus, præf. Cipp. Hebr. præfixa. Et quanta deniq; in Ruderum ejusmodi explicatione committantur πυροφάματα, nemo harum rerum mediocriter peritus ignorat. In Professionis suæ socio Michaele de Luná reprehendit Athanasius Kircherus To. I. Oedip. Ægypt. class. XI. p. 487. quod nimis cõfidenter quædam Arabica transtulerit, quæ talia non sint; Qualem verò ipse Kircherus in veterum Inscriptionum analysi interdum probarit peritiam, uno vel altero exemplo ostendit laudatus modo, nec satis unquam laudandus Incomparabilis Hottingerus loc. alleg. Quid verò noster interea Menasse? adhuc ne delectatur Monumeoto illo

Hebraico-Barbarico? Non admodum; deprehendit ipſe ineptam eſſe Inſcriptionem, ineptiorem interpretationem, ineptiſſimam vero factam exinde de origine Aemricanorum Iſraeliticâ concluſionem. Inſtat nihilominus

MENASSE BEN ISRAEL

(SECT. IV.)

Neutrum cui placet, ei Literas Hebraicas inventas ibi eſſe ſufficiat.

DISCUSSIO.

Neutrum certè placet; ſed nec literæ Hebraicæ ibidem inventæ ſufficiunt, præſertim ad ſtabiliendam originem Americanorum Iſraeliticam, ſi enim inſcriptio illa ab omni ΝΟΘΕΙΑΣ ſuſpicione liberaretur, quis quæſo tantam eidem attribueret vetuſtatem, quanta pro ſtabilienda illa migratione & origine Americanorum ſufficeret? quis non potius paucos ante annos eandem crederet adornatam, à quibuſdam caſu eo delatis? Plurimos ſane, tempeſtatibus talia ad loca abreptos, Hiſtoriæ produnt, ut de Plocamo & Hiſpanis Plini⁹, de Indis etiam Cornelius Nepos tradidêre. Quæ cum minimè obſcura ſint, propria tandem vineta cedit

MENASSE BEN ISRAEL

Et

Et quamvis Insula ista sit remotior ab India Occidentali, casu tamen factum potuit, ut illic appulsi fuerint.

DISCUSSIO.

En! confessionem tandem ingenuam, quæ multum à priori Menassis sententia, parum autem à nostrâ, discrepat. Si enim Insula ista ab America remotior est, ut certè est, quis unquam è locis remotis argumenta ad Gentium origines demonstrandas petere fuisset ausus? Et si Monumenti istius authores casu cò pervenêre, minimè sane destinato illud consilio, incognitas Regiones petendi (quod cum Pseud-Esdra suo Menasse prius affirmavit,) factum est. Atque in hâc Menassis posteriori sententia, possemus nunc acquiescere, si voluisset ipse; & non novo argumentorum apparatu, Thaidem suam exornare constituisset.

MENASSE BEN ISRAEL
(SECT. V.)

Illud verò ad rem facere videtur, quod Garcillasso de la Vega comm. de Peru Lib. 3. cap. 1. ubi de magnis ædificiis loquitur, addit: In Tiahuanacu, (inquit) provincia Collai inter alias antiquitates, hæc immortali memoria est digna; sita ad lacum ab Hispanis Chucuytu dictum; nimirum inter magna,

quæ ibi sunt, ædificia, unum maximæ molis videre est, quod habet atrium quindecim orgyas latum; murum quo cingitur, duo stadia altum; ab una parte atrii est camera quadraginta quinq; pedes longa, viginti duos verò lata: Atrium autem, murus, pavimentum, camera tectumq; ejus, vestibulum, postes duarum Camerarum portarum, ac ipsius vestibuli omniaq; ex uno tantum confecta lapide, muri tres quadrantes ulnæ crassi sunt.

Discussio,

Nihil sane hoc ad rem facit, quid quæso exinde elicit?

Menasse Ben Israel

Ego ædificium illud conjicio esse Synagogam ab Israelitis conditam;

Discussio.

Cur non templum Salomonis, eâdem veritatis specie? aut ad exemplum ejusd. in America exstructam Ædem; cum Atrii, vestibuli, Portarum, Murorum, &c. tam exacta fiat mentio, imò omnia ex uno tantum lapide confecta dicantur. Ast, quot quantorumque splendidissimorum ædificiorum mentionem injiciunt Rerum Americanarum scriptores: Sic Gvainacapa (aliis Gvanacaxa) Peruanorum Rex, (omnes profanorum Annalium Magnates,

tes, Rerum gestarum fama, bellorum pacisq; gloria, copiis, ac luxûs magnificentia, longissimis intervallis antecedens,) AURO fertur ædificasse: Pallatia quippe Regiamque (non lateritiarum ignorantia defectuque, sed sola majestatis ostentâtione,) tegulis auro solidis instravit. Quid si tale Palatium fuisset Synagoga Judaica? aut forte templum, referens illud Salamonicum, auro undique coruscans? Talia etiam splendidissima illa ædificia, à P. Acostâ (Lib. VI. Ind. Hist. c. 14.) descripta, & lapidibus 38. pedes longis, 18 latis, sex verò crassis exstructa. Tale illud cujus mentionem facit Cieza p. I. Chronic. Peruv. c. 87. ubi narrat in urbe Gvamanga, fluvio Vinaque vicina, ingentem esse structuram, vetustate pene collapsam, quâ de rogati Indi, retulerint, adornatam olim fuisse à populis peregrinis barbatis ac albis; Forte Barbati illi ac albi Israelitæ fuerunt, infallabili adeò criterio, quo ædes ab Indis extructæ, à Menasse nuncupantur Synagogæ Judaicæ. Quis argumenti hujus infirmitatem vel me tacente non intelligit? Hoc ne ad rem facere significat?

MENASSE BEN ISRAEL:

Inde ajunt, Aedificiũ illud dedicatum esse Authori Universi; & paulò post: *Quid, quod cum Idololatræ essent Indi, non potuit ab illis Aedes sacra Deo extrui.*

DISCUSSIO.

Si non vero atque summo hujus Universi Principio; (quod rationis ductu minus sunt assecuti) certe fictitiis illis, & pro cujusvis Ingenio excogitatis Rerũ Mundanarum conditoribus, splendida ejusmodi ædificia dedicare potuerunt Americani. Quoddam enim hujus Universi Principium ab illis fuisse admissum, & ipse Menasse sect. VI. fatetur; & Rerum Indicarum scriptores abunde testantur. Sic Souriquosii (populi Americani) authore Fr. Sagardo in Histor. de Huronib. cap. 18.) credunt unum esse Deum, qui omnia creaverit, dein plures in terram defixerit sagittas, è quibus hominum genus ortum & propagatum fuerit. Hurones autem (de quibus Sagardo potissimum sermo,) Mundi creatorem vocant Yosacha, & Lingua Canadensium Atacuacan; huic adhuc supersesse aviam Ataensiq. Utrique imperium in omnes animantes tribuunt. Incolæ Virginiæ (Thoma Hariotto referente) colunt Deum quendam Magnum, qui fuerit ab æterno, cum proposuisset Mundum condere, fecerit primumalios Deos principalis ordinis, quibus veluti mediis & instrumentis uteretur in creatione & gubernatione secutura. In Uraka superstitiose colunt Idolum Dabaikæ, cui

& man-

& mancipia immolant; ferunt autem id esse matrem CREATORIS OMNIUM RERUM. De Mexicanis videndus Jos. à Costa, qui scribit, eos primo loco coluisse Vitzilipuzli, quem tota illa Natio nominabat omni potentem & Dominum omnis creaturæ. Quibus coronidis loco adjicimus miranda Peruanorum de Mundi conditoribus placita, quæ a scriptoribus Hispanicis prolixe traduntur; videl. Insignem quendam Virum (Con ipsi vocant) à Septentrione quondã in terras illas venisse, ac primos homines ibid. condidisse, illisque herbas & fructus sylvestres, sustinendæ vitæ dedisse, mox ab Indis offensũ, terras antea fertiles in arenas steriles vertisse, atque inhibuisse pluvias, donec ab Austro successerit alter, Pachakama nomine (id creatorem apud eos significat,) priore longè potentior, quo adventate CON prorsus disparuerit, istum autem creatos à priore mortales, in aves, ursos, leones, psittacos & alias volucres mutasse, atq; Indorum qui nunc eas terras obtinent Majores creasse, illosque terræ atque arborum culturam docuisse. Sed ut ad id cujus gratia hæc à nobis commemorata sunt, deveniamus, nonne fictis hisce Rerum Conditoribus Indi Sacras Ædes extruere potuerunt? Aperte hoc

tradit

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [107] - 79
PUBLIC DOMAIN

tradit Auguſt. Zarat. Hiſtor Peruv. lib. 1. c. 12. & Benzo Relat. Recent. p. 403. ſcil. *Peruanos Pachakamæ* (cujus modo facta mentio) *TEMPLUM conſecraſſe, & divinos honores tribuiſſe*. Quid mirum igitur, ab Indis Sacras extructas fuiſſe Ædes? Et quæſo qualis cõſequentia: Apud Indos repertũ eſt ædificium Rerum Conditori dedicatum. Ergò adornatum eſt ab Iſraelitis; Sic enim Indorum illorum, de ædificio (à Garcilaſſo de la Vega deſcripto) effatum, eſt explicandum, ut per Authorem hujus univerſi, (cui deſtinatum ſit,) non ſummum illud atque verum Rerum principium, ſed quodvis aliud confictum Numen intelligatur. Quanto denique ſtudio Diabolus ipſe apud Indos Templorum ſtructuram extorquere ſoleat, alibi jam (videlicet Comment. de Re Literar. Sinen. ſect. 10. p. 196.) diximus, ex obſeſſo enim homine ſe diſceſſurum negat, niſi TEMPLUM ſibi exædificaturos eſſe recipiant, ſi pollicentur abſcedit, ſi promiſſis non ſteterint, rurſus revertitur, oppreſſumque hominem variis cruciatibus torquet, quouſque Fanum ædificent, quale inferorum Regi dicatum, ibid. etiam delineavimus. Sed pergimus jam ad alia cum noſtro

Me-

MENASSE BEN ISRAEL
(SECT. VI.)

Accedit huic opinioni argumentum, quod à loco, Dialecticis à simili dicto, sumitur, cui enim Leges ac consuetudines Indorum Hebræorumq; conferre libet, in multis convenire eas videbit, unde facilè colligere est, Indos, illas debere Hebræis cum ipsis habitantibus, ante vel postquam occultos montes quærerent.

DISCUSSIO.

Nisi exactissima Morum atque Rituum convenientia ostendi possit, argumentum hoc sane omnium levissimum est. Plurima equidem sunt omnibus Gentibus barbaris communia, ab ultima videlicet antiquitate descendentia, talia verò tantùm non omnia à Menasse producta. Quem etiam (utpote Ethnicorum librorũ evolutioni non minº quam Ebræorum incumbentem,) maxima quandoque profanorũ & sacrorum rituum harmonia latere nullatenus potuit. Nec dubito, ab illo quoq; observatam fuisse ridiculi illius Simii sive mali spiritus, in imitandis divinis ritibus nefandam cacozeliam. Sed audiamus & examinemus singula.

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid.)

Jucatanenſes, & Acuzainiteenſes Indi ſe circidebant.

DISCUSSIO.

Incerta hæc de Jucatenenſibus traditio hauſta eſt ex Martyre Anglerio qui Decad.IV. c.1.quosdam ex Americanis RECUTITOS nuncupat; Idem c.3.de Cuzumel Inſulæ incolis: *Sunt recutiti*: adde cap.4. de Inſulis verſus novam Hiſpaniam; Sed hæc Martyr aliorum fide,tum Linguæ illarum Gentium prorſus ignarorum,tum quidvis temerè credentium. Franziſcus Lopez de Gomarâ in Hiſtor. Ind. conſentire videtur: Retajanſe (inquit,) aunque no todos; *Circumcidunt ſe,licet non omnes.* Falſam autem & erroneam hanc eſſe de Jucatenenſibus traditionem,ex Acoſta & Herrera patet,qui cum ritus omnes atque ſingulos accuratiſſimè conſignaverint,de illorum tamen circumciſione ἀδέ γρύ, quin potius Acoſta eò quod in America nullibi obſervetur, Judæos inde excludit,uti ſupra jam dictum.Idem Lib. 1.c.23.diſertè negat,Circumciſionem unquam apud Americanos inventam. Et licet authores alleg.dicant quosdam eorum fuiſſe circumciſos,nemo tamen eorum prodit, quibus ceremonijs ritum illum peregerint, cæteri igitur Scriptores, re melius comperta, nullam ejuſ-

dem

dem faciunt mentionem. Quis verò exin colligeret illos esse Hebræos è decem deperditis Tribulus? Si enim hæ eò perveniissent, anne solum Circumcisionis ritum retinuissent, neglectis reliquis? Laetius Hispanos (circumcisionem Americanis tribuentes,) deceptos autumat, & ex arroso lue venerea (quæ ibi frequens,) præputio, circumcisionem collegisse suspicatur, non sine salso risu Grotij, *quasi* (ait,) *ita Judaica esset illa lues, ut præputium perdere contenta, cæteris partibus parceret.* Si tandem exactiora circumcisionis indicia apud Jucatanenses reperirentur, quis quæso originem exinde inferret Israeliticam? Quot Gentes à Judæis ortæ, si hoc originis signum? Populi propemodum infiniti, quos nemo unquam de Israelitarum progenie esse vel dixit, vel suspicatus est, illum circumcisionis ritum adhibuêre, ut Colchi apud *Herodot.* & Diodor. lib. 1. Ægyptij, tradente *Philon.* Jud. de circumcis. & *Strabone* Lib. xvi. apud illos tamen pauci, & ut Horapollo in Hierogl. perhibet Sacerdotes duntaxat circumcidebantur: Phœnices & Arabes, refer. *Cypriano* Lib. de Circumc. & *Nicephor.* Lib. viii. c. 35. hi tamen tardius receperunt, quod exemplo Pœnorum in Africa patet, quibus nunquam in usu. Æthiopes ab Ægyptijs acceptam

ceptam circumcisionem latissimè propagarunt, adeò ut omnes torridæ Zonæ subjecti eandem hodie observent. Edomitas, Ammonitas, Moabitas, desertiq́ue incolas seu Ismaelitas & Saracenos, suo adhuc tempore se circumcidisse tradit *Hieronymus* in Jerem. IX. 26. & *Epiphan.* Panar. Lib. I. Sect. II. c. 30. Etsi verò quædam Gentes circumcisionis ritum ab Israelitis accipere potuerint, sive ab illis prognatæ, ut Ismaelitæ & Edomitæ, ab Abrahamo & Isaaco familiam ducentes; sive quodam adfinitatis vinculo junctæ, verbi gr. Ammonitæ & Moabitæ, quomodo tamen de Ægyptijs, Æthiopibus, Arabibus, Indis, infinitisq́; alijs id ulla veritatis specie affirmari possit, non apprehendo, præsertim cùm maxima adeò in circumcisionis tempore discrepantia occurrat, ab Israelitis quippe octavus à nativitate dies præcisè observatus, ab Ægyptijs verò annus demum decimus quartus; Arabibus decimus tertius, in utroq́; sexu; à Turcis quandoq́; octavus & decimus quintus, ritui huic destinatus fuit. Sed & apud Anzichos numerosam adeò Gentem, quæ occidentale Nili littus ultra Nubiam insedit, ceremonia hæc obtinuit. De circumcisione Tartarorum post receptam ab ijs Muhammedis superstitionem supra diximus, vid.

vid. insuper Matthias à Michou, Lib.I. de Sarmat. Asian.cap.5. Quem denique ridiculi illius Simij latent artes, quibus infinitos fermè ritus, divinis quam simillimos, barbaras Nationes, sive ipse, sive per emissarios suos docuit, quod vastissima vetustiorū pariter ac recentiorum authorum testantur volumina.

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid. p. 28.)

Totones Novæ Hispaniæ, ac Mexicani, prout Roman & Gomara, in generali Indorum Historia testantur, vestes lacerant, si vel repentinum aliquod infortunium, vel mors alicujus supervenerit.

DISCUSSIO.

Adeò trita & ab omnibus propemodum Gentibus olim observata consuetudo hæc est, ut mirum non immerito videatur, quî Hebraicas Americanorum origines exinde stabilire non dubitaverit MENASSE. Si non aliunde saltem è Jobi Historia (Israeliticâ videlicet vetustiori,) argumenti hujus infirmitatem deprehendere potuisset, cum cap. II, 12. perhibeatur, Jobi Familiares conspectâ doloris acerbitate *Vestes suas scidisse*. Et ex Historia Judith notus est tragicus Holofernis exitus, quo à Vagao, (seu Bigvai) propalato, Principes copiarum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [113] - 85
PUBLIC DOMAIN

piarum Assyriæ, e vestigio *suas disruperunt Tunicas*. Sed & apud Ægyptios, atque postea Lacedæmonios re infeliciter gesta *Vestes fuisse discissas* Herodotus Lib. VI. author est. De Persis hoc quoque testantur *Diodorus* Lib. XVII. & *Q. Curtius* Lib. IV. ubi dicitur, spadonem Dario nuntium attulisse Veste Lacerata Lib. V. perhibet, quosdam Regem deploraſſe *laceratis vestibus*, lugubriqúe & barbaro ululatu. Lib. III. idem Curtius describit ingentem nobilium feminarum turbam, quæ laceratis crinibus, *abscissáq; Veste* constiterit. & Lib. X. de Marte etiam Darii tradit, illam (tristi accepto nuntio,) *abscissa veste* qua induta fuerit, lugubrem sumsisse, laceratisque crinibus humi corpus abjecisse. Idem quoque mœstitiæ suæ planctusque documentum Viros dedisse testatur Herod. Lib. III, & VIII. Idemque confirmatur Ctesiæ verbis, quæ ab Hesychio in voce Σαράπης laudantur. Et *Livius* idem notat in Sabinis Dec. I. Lib. 1. *Virgilius* Æneid. XII. inducit Amatam de laqueo cogitantem, Vestesque discindentem:

Purpureos moritura manus discindit amictus.

Et Latinum Regem eandem deflentem:

--- --- --- *It scissa veste Latinus.*

Quid multis? De Romanis & Græcis nemo

mo non Hiſtoricus teſtatur, ut adeò ingenioſiſſimus Caſaubonus ad illud Suetonii de Auguſto: *Dictaturam magna vi offerente Populo, genu nitens, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt*; rectè obſervet Lib. II. c. 33. *Ebræorum Græcorum & Romanorum mos τῇ γυμνότητι ταπεινῶν ἑαυτὸν. ut loquitur Plutarchus: Quare in omni graviori commotione veſtes lacerabant, ut paſſim in omnibus ſcriptoribus.* Anne igitur novum hoc & Antiquitati inauditum, quod etiam INDI veſtes lacerent, ſi vel repentinum aliquod infortunium, vel mors alicujus ſuperveneri. Fuit quidem celebris apud Hebræos hic mos (quo de vid. eâ quæ ex Scripturis collegit *Schindlerus* R. קרא & quæ ex Rabbinis *Schikardus* in משפט המלך p. 155. ſeqq. adde Viri Celeberr. *D. Mart. Geieri* tractat. eruditiſs. de *Ebræorum Luctu* c. XXII. n. 9. p. 412. ſeqq.) Obſervabatur tamen juxta plurimarum aliarum Gentium conſuetudinem, ab orientalibus reliquis, populo Judaico in tantam multitudinem nondum excreſcente, receptam, quod ex Hiſtoria Jobi minimè obſcurum eſſe poteſt.

MENASSE BEN ISRAEL:

Mexicani & Totones ſive Totonacazenſes, in aris ſemper Ignem alebant, ut jubet Deus in Levitico,

Peruenſibus in Templis Soli dedicatis facientibus.

Discussio.

Exemplo totius propemodum Antiquitatis. Adeo profundas in diverſiſſimarum, ac Terra non minus quam Mari disjunctiſſimarum Gentium animis, ſuperſtitio hæc egit radices, ut nil minus quam Hebraicæ Americanorum origines exin ſtabiliri poſſint. Cacodæmonem quippe, maximâ ubique rituum atque ceremoniarum harmoniâ, Idolatricum cultum inſtituiſſe, jam olim ab Eruditis eſt obſervatum. Juvat ex amœniſsimis pariter ac ſpatioſiſsimis antiquitatis campis, quoſdam decerpere floſculos, quo magis appareat, quam infirmis opinio Menaſſis noſtri nitatur fundamentis. De Perſis nota res: Strabo Lib. XV. ἐσι δὲ καὶ πυραιθεῖα (vulgo πυραθεῖα) σηκοί τινες ἀξιόλογοι ἐν δὲ τούτοις μέσος βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς ΚΑΙ ΠΥΡ ΑΣΒΕΣΤΟΝ ΦΥΛΑΤΤΟΥΣΙΝ ΟΙ ΜΑΓΟΙ i. e. *Sunt & Pyræthea ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt; In ea MAGI & cinerem multũ & IGNEM PERENNEM ſervant.* Perſarum exemplum non Cappadoces ſolum, verum etiam Phryges ſecuti ſunt, nec non Larinienſes, horumque propago Albani. In ara Egnatiæ Nymphæ, quæ in Apulia

cultа

eulta fuit lignis ſuperpoſitis extructisq; , Ignis ſua ſponte excitari incendique ab antiquis exiſtimabatur, conferatur Solin° Polyhiſtor. c. II. Sacerdotibus verò Gentilium hæc potiſſimum data fuit provincia, ut Sacrum illum Ignem, præſtigiis Dæmonum deſuper acceptum, continuis alimentis, ne extingueretur foverent, ac ſumma Religione enutrirent. Obſervârе idem Ægyptii, adeò, ut Diodoro authore, mos ſervandi Ignem Perpetuum, cœleſti ſimilem, ab illis ortus, & ad alias Gentes propaga° fuerit. Et Plutarcho (de defect. Oracul.) perhibente, in Jovis Ammonis Ædе ΑΥΧΝΟΣ ΑΣΒΕΣΤΟΣ ſive LUCERNA INEXTINCTA arſit. Hinc decantatiſſima illa Infinitarum Gentium ΠΥΡΟΛΑΤΡΕΙΑ, à Chaldæis, Aſſyriis & Ægyptiis excogitata, Perſis ſanctè obſervata, & ad Græcos poſtea, ac Romanos cum ſuperſtitionum reliquarum colluvie devoluta. A Chaldæis primo Ignis cultus ſub nomine אור UR, hinc orta notiſſima Judæorum fabella, quam legas in Medras Haggada, apud Salom. Jarchi & Moſen Gerundenſem, reperias etiam apud Hieronymum, quæſtionibus ſive Tradit. in Geneſin, Abrahamum ſc. propterea in Ignem fuiſſe conjectum, quia Ignem adorare noluerit, Deiq́ue auxilio liberatum,

turpissimâ illam profligasse Idololatriam, similem fermè de Abrahamo traditionem habet *R. Mos. Majem. More Nevoch.* p. III. c. 29. Sed quicquid de Chaldæis sit, constat Ægyptios ignem sub nomine SERAPHIM coluisse, quæ vox à שרף deducta ardere flagrare, splendere significat. A Persis PERPETUUM illum Ignem Numinis loco fuisse habitum notissimũ est. Causam vide apud Jul. Firmic. Lib. de Error. Prof. Relig. Eundem Persarum cultum prodiderunt Isidor. Lib. XIV. c. 3. E Græcis Theodoret. lib. II. Hist. Eccles. c. 38. & Socrates Hist. lib. VII. c. 8. Qua ratione verò Persæ sacra fecerint Igni exponit Strabo Lib. XV. Appellabatur ORIMASDA, quasi Ignem Sanctum diceres, propterea noluerunt suorum corpora comburi, vid. Herod. Lib. III. Iidem teste Maximo Tyrio cum Igni sacra facerent, præbito alimento his utebantur verbis: EDE DOMINE IGNIS. Et hanc superstitionem Persæ retinuerunt, donec Heraclius Imp. Persiam vastans, Pyræa illa sustulit, Suidas: ὁ δὲ ἡράκλειος τὰς τε πόλεις καθῆρει, καὶ τὰ πυρεῖα διέφθειρε τῶν περσῶν. adde Hist. Tripart. lib. X. c. 30. Procop. lib II. & Niceph. lib XIV. c. 19. Eundem cultum Græcos observasse, & custodiam ignis, mulieribus connubio solutis demandasse,

dasse, testis est Plutarchus in Numa Pomp. Apud Romanos superstitionis hujus, ut & cæterarum omnium architectus fuit Numa Pompilius, qui Græcorum exemplum imitatus, SACRUM IGNEM in penetralib° VESTÆ reconditum posuit, à virginibus intemeratæ castitati devotis, alendum & custodiendum. Hinc Servius in illud II. Æneid. *AEternumq; adytis effert penetralibus ignem:* Ecce ipse posuit quid est Vesta, nempe ÆTERNUS IGNIS, de vocis illius origine vide erudite differentè doctiss. *Vossium*, lib. 2. Theol. Gentil. cap. LXV. Reliqua ad Vestam & Vestales pertinentia, nemo veterum prolixius est persecutus *Dionys. Halicarnas.* Antiq. Rom. lib. 2. adde *Gell.* lib. I. cap. 12. è recentioribus *Lilium Gyraldum & Justum Lipsium* peculiari de Vesta & Vestalibus syntagmate. Hæc verò è variarum Gentium Historia breviter repetere placuit, quo mâgis appareat, celebratam hanc IGNEM PERPETUUM servandi consuetudinem, nec ab Hebræis duntaxat observatam, nec ab iis ad Indos fuisse devolutam. Ut verò tandem cognoscatur quomodo ad eosdem PERPETUI IGNIS custodia pervenerit, juvat audire Amm. Marcell. lib. 23. de BRACHMANIBUS Magis seu Sapientibus Indicis: *ferunt si justum*

juſtum eſt credere, ignem cælitus lapſum apud ſe SEMPITERNIS foculis cuſtodiri: Cujus portionem exiguam, ut fauſtam præiſſe quondam Aſiaticis Regibus dicunt. Quid mirum igitur ſi inter ipſos Americanos ejuſd. conſuetudinis obſcura reperiantur veſtigia? Quantas enim radices inſana hæc religio, in locis atque Regionibus remotiſſimis egerit, documento ſunt ea quæ in Itenerario ſuo prodidit Benjamin *Tudelenſis*. p. m. 108. ubi de Inſulæ quam vocat כורג incolis דונבין *Dugbijanis* ſequentia recenſet: *Ante excelſum ſive altare Oratorii ſui vallem magnam habent, ubi ſingulis Mundi diebus Magnum ignem accendunt, quem vocant Divinitatem, per quem filios ſuos tranſmittunt: mortuoſq; ſuos etiam in medium ignem projiciunt. Quin & iſtic inter eos reperiuntur Regionis iſtius Magnates, qui ſe vivos igni comburendos devovent. Quum vero is qui votum concipit filiis ſuis domeſticis & cognatis indicat; Ecce de me ipſo votum concepi, ut me vivum in ignem projiciam, reſpondent omnes ac dicunt, O te beatum, bene ſit tibi, qui ipſo voti exſolvendi die convivium ei magnum parant; ac ipſe deinde equo ſuo vectus, ſi dives ſit, aut ſi fuerit pauper pedibus ſuis ad vallis uſq; marginem procedit, ſeq; in medium ignem projicit, tota ſua familia cum tympanis & tibiis jubilante, donec totus combuſtus fuerit,*

fuerit. Finito triduo duo è primariis ſacerdotibus illorum veniunt in domum & ad liberos ejus, dicentes ad eos: Ornate domum, hodie enim venit ad vos Pater veſter, ad præcipiendum vobis, quæ agere debeatis; ipſi vero ad ſe aſſumunt de civitate teſtes. Tum venit Satan ſub ſpecie vel ſimilitudine illius, & uxor ac liberi ejus accedentes quærunt, quomodo ſeſe illic habeat in mundo illo? Ille reſpondit; Veni quidem ad ſocios meos, ſed nolunt me admittere, donec exſolvero debita mea filiis & propinquis ac vicinis meis. Facit itaq; Teſtamentum, & diſtribuit bona ſua inter liberos, jubetq; ſolvere omnia ſua debita, & viciſſim recipere cuncta ſua credita: quæ omnia teſtes adhibiti conſignant. Quo facto abſcedit ipſe, neq; amplius conſpicitur. Hoc mendacio, his fraudibus, & præſtigiis, quibus ſacerdotes illorum ipſis imponunt, ita in ſua ſuperſtitione confirmantur, ut dicant nullos ſibi pares eſſe in univerſa terra.

Hactenus Benjamin. Quæ licet non immerito à Conſtant L'Empereur (in Not. p. 215.) reliquis à Benjamine temerè affirmatis accenſeantur, haud obſcurè tamen exin ſuperſtitionis illius, IGNISQUE PERENNIS ſcintillæ, in remotis adeo Regionibus promicantes, elucent. Ejuſdem prorſus farinæ hiſtoriam R. *Menachem de Lonzano* in libro שתי ידות fol. 50. col. i. è Medraſch quodam in Eccleſiaſten MSCR.

MSCR. enarrat, quam cum versione Latina, Epimetri loco, Sacri Ignis Historiæ subjunxit Magnus BUXTORFIUS. Illam etsi paulo prolixiorem, ad institutum tamen nostrum maximoperè facientem, nec Lectori forte ingratam, è lingua Hierosolymitana versam, coronidis etiam lòco, huic de Igne Perpetuo dissertatiunculæ annectamus.

Fuit Judæus quidam qui profectus est in Terram Kédar (Arabiam,) cujus incolæ colunt IGNEM Gehenna, persuasi hunc Ignem esse AETERNUM inde à condito Mundo, & per eum judicari & purgari omnes animas. Ad latus autem Terræ ipsorum est porta quædam gehennæ. Impij itaq; isti Kedareni accipientes de igne Gehennæ, colunt eum singulis diebus. Qualis autem est cultus quo colunt Ignem illum? Accendunt ei duo segmenta ligni singulis matutinis, & duo singulis vesperis. Ea, quæ manè apponunt, ardent usq; ad vesperam, quæ vesperi, ardent ad crastinum manè. Et sic faciunt singulis diebus. Ea autem est Ignis illius ratio, ut si omnia ligna quæ sunt in toto mundo illùc comburerent, tamen nullum facerent cinerem. Hâc de causa errantes existimant illum esse Deum. Hinc multi ex illis quando ad senectutem perveniunt, conferunt se ad portam Gehennæ, conjiciunt se in eam, & in oblationē se ipsos ei offerentes, dicunt; Si quis se ipsum offerat, in obla-

in oblationem gehennæ, licet totus fuerit peccatis plenus, tamen ea omnia ipsi remissum iri, neq; judicatum iri in Gehenna, sed statim transferri in Hortum Edenis, Gehennæ oppositum; Si quis verò se non offerat ei, tum eum post mortem in Gehennam venire, & ibi judicari, donec omnia ejus debita sint soluta, & peccata expiata, & tum demum hæredem fieri Paradisi. Judæus ergo ille per Terram ipsorum iter faciens, divertit apud senem quendam, ubi commoratus, intellexit, viam quâ porrò iturus erat, esse plenam latronum & raptorum, qui omnes viatores exspolient. Timens ergo deposuit omnem suam substantiam, apud senẽ illum (eò quod essent fideles & integri homines illi,) nihilq; secum sum sit nisi viaticum, & sic perexit in locum illum, ad quem tendebat. Redux & repetens domum istius Senis ad recipiendam suam substantiam ab eo; non reperijt illum, & dictum ei fuit, illum mortuum esse, & se projecisse in Gehennam. Ille dixit eis, ubi est substantia mea, quam deposui apud eum? dixerunt ei, sibi nihil de ea constare. Ipse incipiebat flere super amissis suis facultatibus. Illi verò ad eum; Nolito ajunt, timere vel affligere te, sed manè nobiscum per triduum: tertio enim die revertetur ad nos & restituet tibi pecuniam tuam depositam. Ita namq; solent omnes illi, qui se in Gehennam projiciunt tertio die ad domum suam redire, & domui suæ præci-

pere

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [123] - 95
PUBLIC DOMAIN

pere, Hæc ab illis audiens, fidem dictis habuit, quia non addicti sunt mendaciis in suis sermonibus. Tertiò ergo die venit Dæmon quidam sub specie Senis illius, in ipsius domum, & præcipit uxori & liberis ejus, quid de bonis suis facere debeant: Judæus verò ille dixit ei; Et mea pecunia, quam apud Te deposui, ubi est? Ille statim eam protulit, & ei reddidit. Judæus admiratus, dixit ei; An revera ex Gehenna venisti? Ille; verè ita res habet; Judæus; Num in vita tua Te conjeciſti in Gehennam? Ille; Omnino. Judæus; Quam ob causam sic feciſti? Ille; Ne in ea judicer (pœnis afficiar:) quisquis enim se in gehennam projicit in vita sua, non judicabitur illius igne: & beatus est ille, qui se eò conjicit; nam si expiationem facit pro omnibus peccatis suis, & liberatur ab igne. Judæus hæc audiens subriſit, neq; verbis ejus fidem habuit, ac porrò ei dixit, Tecum ibo, & videbo, num revera Te conjicias in ignem? Ille; quod si mecum iveris, te ipsum etiam in eum conjicies. Judæus; quod mihi placebit id sum facturus. Ille viciſsim non ibis mecum. Cum ergò absolviſſet præcipere uxori & liberis suis, & iterum diſceſsiſſet, Judæus secutus est illum, quod ille retroſpiciens animadvertens, dixit ei, Ne sequaris me. Judæus; Imo vel Te invito sequar, & videbo quid facturus sis. Ille videns quod sequeretur etiam se invito, dixit ad eum: Nunquid Judæus es? Imò, respon-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [124] - 96
PUBLIC DOMAIN

respondit ille. Alter; Scito, me non esse Virum vel Hominem; Sed Satanas Gehennæ sum, qui seduco stolidos istos homines, qui deserto Domino illo qui mundum creavit, & conservat, colunt Ignem Gehennæ, & quando aliquis illorum se projicit in Gehennam, ego abeo in domum ejus exactis tribus diebus, sub illius specie, formâ & habitu, & præcipio domui ejus pro lubitu meo; insuper hoc nomine laudo eos, & dico felices esse omnes eos qui se conjiciunt in gehennam; cum in perditionem abeant. Nam impy sunt, & super omnes Idololatras habemus potestatem ut seducamus & perdamus eos in viis ipsorum malis; sed quod ad Israelitas attinet, qui credunt in Deum vivum, qui est Dominus Mundi, & creavit omnia, quiq; acceperunt legem, non habemº potestatem ipsos seducendi, quamdiu ambulant in via veritatis. Hæc Judæus audiens gavisus est, & ivit viam suam.

Ex hac Relatione, gentium licet Rabbinicum spirante, nihilominus apparet, ineptam illam de IGNE ÆTERNO superstitionem atque persuasionem insedisse animis Barbararum adeò, & ab omni Ebræorum commercio alienarum Gentium. Dubium igitur nullum est, Americanos etiam, maligni Spiritus ductu, consuetudinem illam perpetuum ignem servandi recepisse; & in hunc usque di-

em, cum reliquis à Menasse productis ritibus, originem Israelitcam nullatenus confirmantibus, retinuisse. Quod prolixius deinceps erit ostendendum.

Menasse Ben Israel

(Sect. VI.)

Nicaraguacenses verabant feminas, quæ partum nuperé ediidissent, templa ingredi, priusquam menstruo forent purgatæ. Insulæ Hispaniola incolæ peccare eos ajunt, quibus res est cum femina recens enixa, & Indi novæ Hispaniæ gravissimè puniebant Sodomiæ reos, sepeliebant etiam plurimi Indorum suos mortuos in montanis, qui mos etiam est Judæorum.

Discussio.

Adeò frivola & insulsa argumenta pro origine Americanorum Israelitica hæc sunt, ut prolixiori discussione minimè digna videantur. Qualis enim consequentia : In hâc vel illa Gente feminæ modo enixæ, ab ingressu templorũ & thoro maritali arcentur; In Sodomiæ scelus graviter animadvertitur, & mortui in montanis sepeliuntur ; Ergò illa Gens Israelitis suam debet originem, nimis profectò inepta illatio. Quæ feminæ quæso statim à partu in publicum prodeunt, ne dicam templa ingrediuntur ? Quis eos non vituperabit, quibus cum

cum feminâ recens enixa res? Quæ deniqúe Gens (si modo non omnes honestatis limites prætergressa fuerit,) adeò barbara, adeo profana quæ non detestetur, debitisque pœnis insectetur nefandum Sodomiæ scelus, exinde verò originem Israeliticam inferre, non absurdum solum, verùm etiam prorsus ineptum & ridiculum. Et nescio sanè annon ab alijs Nationibus, præsertim Germanis, (qui nihil tale novêre,) in illud Sodomiæ crimen gravius animadvertatur, quam ab ipsis olim Hebræis, qui (ut è Judic. XIX. & XX. manifestum est) ob Gabaensium in puniendo illo pariter acolio quodam crimine segnitiem, integram propemodum Tribum Benjamiticam amisissent. Porrò sepelire mortuos in montanis, mos quidem Judæorum est, sed aliarum etiam infinitarum gentium, quod notissimum. Omnia certe hæc criteria, nescio quarum aliarum Gentium inter Americanos exhiberent vestigia, quibus ut prolixius inhæreamus, operæ minimè foret pretium.

MENASSE BEN ISRAEL

(Ibid.)

Et nomen Chana istis in locis inventum, referente Gregorio Garzia.

Discussio.

Si non Syllabarum harum ſono etiam reſpondeat ſignificatio, argumentum hoc omnium evadet ineptiſſimum. Talia infinita propemodum vocabula accuratior Glottoſyncriſis exhibet, quæ tamen diverſiſſima denotant. Indos verò, longè aliud quid voce Chana deſignare quam Hebræos, ipſe Menaſſe inficias ire minimè potuit.

Menasse Ben Israel

(Ibid.)

Id mireris, quod ab ijſdem Jubilæum L. annorum in urbe Mexico, ut totius Provinciæ Metropoli, magna cum Pompa celebretur.

Discussio,

Non miror. Quoties cumprimis nefandam Dæmonis in imitandis ritibus atq; ceremoniis à Deo præceptis cacozeliam mecum reputo. Illud potius miror, Virum eruditum, ejuſdemque neutiquam ignarum, in hoc argumento tantopere ſibi placuiſſe, nec ullum tamen (ut aliàs conſuevit,) fide dignum teſtem in medium attuliſſe. Infinitâ ſic pro lubitu fingi poterunt, nec egò hactenus (inſtituta etiam paulò accuratiori inquiſitione,) quoddam hujus rei veſtigium reperire potui. Si verò

verò vel maximè apud Americanos tale quid fuiſſet deprehenſum, nihil minus tamen, quam originē Iſraeliticam confirmaret. Quis enim publica illa Indorum gaudia, aliquot annorum effluxo ſpatio (ob inſignem forte victoriam, vel aliam quamcunque ob cauſam) celebrata, Jubilæa nuncuparet Judaica? Rectius ſolennes lætitias, certis quibuſdam temporibus iteratas, appellaveris, quales aliarum Gentium hiſtoriæ neutiquam ignorant.

MENASSE BEN ISRAEL:
(Ibid.)

Quid quod die Sabbathi omnes ceremoniis ac ſacrificiis in templo faciendis intereſſe tenebantur.

DISCUSSIO.

Siccine à Judaica duntaxat Gente obſervata fuit conſuetudo SABBATHI? Sic omnibus reliquis Nationibus deſpecta aut neglecta hæc ceremonia? Nonne השביעי אומרים האומות שכל העולם שמר יום השבת מלעבוד בו ער ימי מתן תורה מרכתיב ויברך אלהים את יום: *Dicunt Gentes univerſum Mundum obſervare diem Sabbathi, ne quod in eo facerent opus, ex eo quod ſcriptum eſt, & benedixit Deus diei ſeptimo &c.* inquit R. *Gedal. Schalſchel.* Haccab. p. 90. Et *Joſephus Albo* Lib. עקרים Orat. 3. c. 25. acriter

contra Christianos, (primam, non septimam hebdomadis lucem religiosè observantes,) disputat, eo quod septima illa dies PER SE SACRA sit, & omnibus omninò quieti à Deo destinata. Sed quem Menassi rectius opponere possemus, quam Menassen ipsum, Probl. 8. de Creation. p. 36. ita differentem: *Certum est, eos omnes qui per traditionem à Majoribus suis creationem Mundi acceperant, etiam observasse Sabbathum*; Sed notitiam creati Mundi, Menasse rursus (מקוה ישראל p. 92.) confirmante, habuerunt Americani; exinde sic infero: A quibus illi habuerunt notitiam creati mundi, ab illis etiam acceperunt observationem Sabbathi; Sed à Majoribus suis (Japeti forte posteris) *non autem Hebræis* (quod infra ostendam) Americani acceperunt notitiam creati Mundi, Ergo etiam observationem Sabbathi Validissimum hocce telum à se ipso paratum, vix eludere potuisset Menasse. Et quis profanarum institutionum adeò rudis aut imperitus, quem Sacri cujusdam diei per singulas hebdomadas recurrentis fugiat observatio. Morem illum τὰς ἱεροπρεπείας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι. *Sacra curare cum laborum intermissione solenni*, veluti satis celebratum, describit *Strabo* lib. X. Ipse Aristobulus Judæus, sed Philosophus Peripate-

ripate-

ripateticus, de popularium ſuorum Sabbatho ſeu die ſeptimo apud Euſeb. Lib. 13. de Præp. Evang. c.12. differens, Διαφέρει (inquit,) ὅμηρος καὶ ἡσίοδος, μετειληφότες ἐκ τῶν ἡμετέρων βιβλίων ἱερὸν εἶναι. *Palam docuere Homerus & Heſiodus, cum id noſtris hauſiſſent ex libris, ſacram eſſe, ad hunc modum Heſiodus:*

Ἑβδόμάτη δ' ἦπερ κατήλυθεν ΙΕΡΟΝ ἦμαρ.

Septima dein illuxit SACRA dies.

Optimè Joſephus Lib.II. contra Apion: οὐδ' ἔστιν ἡ πόλις ἑλλήνων, οὐδητισοῦν οὐδὲ βάρβαρος, οὐδ' ἔν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος ἦν ἀργοῦμεν, ἡμεῖς τὸ ἔθος οὐ διαπεφοιτήκεν. Quod *vulgo* vertitur: *Nulla eſt Civitas Græcorum uſquam aut Barbarorum, nec ulla Gens ad quam ſeptimanæ, in qua vacamus, conſuetudo minimè pervenerit.* Satis etiam perſpicua ſunt verba Philonis de opif. Mundi: ἑορτὴν γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως ἡ χώρας ἐστὶν, ἀλλὰ τῶν παντὸς, ἣν κυρίως ἄξιον καὶ μόνην πάνδημον ὀνομάζειν καὶ τοῦ κόσμου γενέσιον. Quod in editis redditur; *Eſt enim feſtus non unius Populi religioniſve, ſed in univerſum omnium, quæ ſola digna eſt, ut dicatur popularis feſtivitas, & Mundi Natalis*, conf. eund. de vita Moſis Lib.II. Exinde Clemens Alexandrinus rectè infert V. ſtrom. τὴν ἑβδόμην ἱερὰν, οὐ μόνοι οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ

καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. *Septimum* (sc. diem) *Sacrum esse, non Ebræi modo verumetiam Græci agnoscunt*, addit Clemens: ἀλλὰ καὶ Σόλων ἐλεγεῖαι σφόδρα τὴν ἑβδόμαδα ἁγιάζουσι. *Quam diem uti Sanctiorem ipsæ quoq; Solonis Elegiæ mirum in modum prædicant.* De Romanis dubitare nemo potest, qui prima duntaxat illorum delibavit instituta. Sic apud Ciceronem in Sacris Legibus, sic Halicarnasseum videre est, Romæ diem sacram quieti servitiorum & Animalium fuisse destinatam. Asserit Dion Historicus, ejusdem Sabbathi, quod apud Judæos erat, usum ad Græcos Romanosq; fuisse translatum. Idem haud obscurum esse poterit è Calendario Julij Cæsaris, quòd cum Calendar. Ecclesiastico novo prodijt Venet. 1552. in quo non festorum solum; verum Dierum Hebdomadariorum ratio egregiè ostenditur. Si itaque Cessatio ab opere quotidiano, (quippe quæ Sabbathum potissimum constituit) à Gentilibus fuit observata, mirum sanè non est, ab Americanis septimâ quavis luce congregationes tales, ad ceremonias & sacrificia, in templo peragenda, fuisse institutas.

Reperiuntur tamen quædam eruditorum hîc divortia, cum nonnulli diei septimi nomine septimum septimanatim recurrentem; alij verò

verò ſeptimum menſis religiosè à Gentilibus habitum fuiſſe exiſtimant. Priorem ſententiam aſſerit H. *Grotius* de Ver. Rel. Chriſt. p. 43. poſteriorem verò Doctiſſ. *Seldenus* Lib. III. de Jur. Nat. & Gent. c. 17. prolixè tuetur, ſic locum explicat Heſiodi cum diem ſeptimum appellat ΙΕΡΟΝ ΗΜΑΡ DIEM SACRUM; menſis nempe cujuſvis. Quæ verò Clemens ex Homero & Callimacho habet περὶ ἑβδόμης non de die ſeptimo, ſed ſeptenario intelligit. Quicquid tamen hujus ſit, manifeſtum certe eſt, intra ſeptem dies, exantlati operis memoriam obſervatam fuiſſe non apud Græcos ſolum & Romanos, ſed apud Celtas quoque & INDOS, quibus fermè omnibus per Hebdomadas diſtributa tempora, ut præter *Juſtinum Martyrem*, Caſſium & *Philoſtratum* docent vetuſtiſſima dierum nomina. Quem deniqué Muhammedanorũ latent de ſeptimæ diei hebdomanatim recurrentis (Veneris vid.) inſtituta? Nuncupant illum יום אל נמעה *ſeu diem congregationis*, quod eod. homines congregentur. Hoc ex Abu Walid Mahumed ben Elshecina Hiſtorico Vet. docet Seldenus d. l. p. 427. Ille enim Rerum initia & ſex creationis dies exequens, ait: *Tunc creavit ſtellas & Solem, & quæ ſunt id genus cætera. Et continuatum eſt opus illud*

à die primo in diem Giuma. Ideò autem vocatur dies Giuma, quoniam eo in universum rerum primo creatarum compages est absoluta. Sic Saidus Batricides Patriarcha Alexandrinus, scribit, Adamum è Paradiso ejectum hora nona diei Giuma. Arabes verò Sabbathum nuncuparunt ערובה *Arubah*, qua de voce plura docet Magnus Hottingerus *Primit. Heidelberg.* p. 374. Sic etiam סיר אלאי אם *Dominum dierum* salutant, diem item esse ΣΩΤΗΡΙΟΝ illis præsertim qui ungues præcidant, quin & observatu omninò necessarium, atque sic illis פרי'צה *Lex* dicitur. Diei etiam illius studium statutum divinum vocatur in jure Mahummedico, collecto ab *Abdallâ Abumuhamed ben Abi Zeid*, p. 36. Nec commercia luce illa Muhammedani permittunt: *O vos qui è credentium sitis numero,* (sic in Alcorano Azoar 62. legitur) *quando convocatur ad precandum in die Giuma Mercandi negotia relinquite, quod bonum est vobis, si sapitis.* Etsi verò è plurimarum Religionum ceremoniis, conflatum sit dogma Muhammedicum, primorum tamen Noachidarum vestigia apud illos haud obscurè deprehenduntur. Mirum itaq; non est apud Indos etiam, quoddam quasi Sabbathi ἀποσχίασμα fuisse observatum, ex quo tamen minimè inferri debet,

eosdem

eosdem propterea Israelitis suam debere originem, aut non nisi ab eorum posteris, Sabbathicam ceremoniam esse deducendam.

MENASSE BEN ISRAEL:

(Ibid.)

Idem divortium faciebant à feminis, quæ quid minus honestum patrassent.

DISCUSSIO.

Divortii usum pro libitu alterutrius Conjugum, apud Novi Orbis incolas repertum esse tradit *Alfonsius à vera Cruce* (in Acad. Mexicanâ olim Professor primarius,) Spec. Conjug. p. II. art. 5. Anne verò Judaicam sapit originem? Minimè. Quis ignorat quot quantæque Gentes morem illum observaverint? appositissimè Josephus Scaliger, Animadv. Euseb. n. 2015. *Apud Romanos & Græcos tam mulier quam Vir potest alter alteri dicere, ut res suas sibi habeat. Quin nomina rei illius propria jure Attico prodita erant, ut si vir discederet ab uxore, hoc diceretur* ἀποπομπή, *si mulier à viro* ἀπόλειψις. Has divortii voces Græcas habet Julius Pollux. Lib. III. Onomast. c. 3. sed differentiam illarum optimè explicat Samuel Petitus, Comm. in Leges Atticas, Lib. VI. p. 459. In vetustissimis quidem scriptis Talmudicis (Gemar. Hierosol. ad tit. Kido-

Kidoschim cap.I.f.58.col.3.)legitur: בני נח אין להן קידושין אין להן נירושין; i. e. *Noachidis nec sunt Nuptiæ nec divortia*; Talia vero ibid.intelliguntur,qualia ab ipsis Ebræis,(ritibus atq; ceremoniis variis accedentibus,) observantur. Divortii etiam libellus & Græcis & Romanis in usu. Illi τῆς ἀποπομπῆς, ubi vir feminam ejiciebat; sive τῆς ἀπολείψεως γράμματα, ubi hæc illum relinquebat,appellarunt,ut modo dictum, quibus adde Plutarch. in Alcibiade,& Alexandr.ab Alex.Genial.dier.Lib. IV. cap.8. Et Archontis Athenis erat eligere judices apud quos de legitima divortii causa disquireretur. Ἀπολείψεως consuetudinem à Judæis minimè observatam, aliarum gentium exemplo introducere conata est Salome Herodis soror, misso ad maritum Costobarum repudii libello, quod constat è Josepho lib. XV.cap. 11. Aliud exemplum in Herodiade Aristobuli filia (Lib.18.c.7.)occurrit. Ex his itaq; obscurum neutiquam est, hanc divortiorum consuetudinem, ut apud gentes plurimas, sic Americanos etiam, absque ullo Ebræorum commercio observatam fuisse, nec quicquam exinde pro stabilienda illorum ab his origine inferri potuisse.

MENAS-

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid.)

Fratrum defunctorum viduas ducebant Indi Insularum Peru, Novæ Hispaniæ & Guatimalæ.

DISCUSSIO.

Ex observatione fortè Legis Mosaicæ? Minimè; sed nullâ hoc ipsum prohibente lege positiva, à summis istarum terrarum Magistratibus lata. Nec idoneum rursus Menasse hujus rei affert testem, nec præcipuam illam addit conditionem: Si frater absque legitimis liberis è vita discesserit. Neminem fermè latet, Gentes Americanas promiscuo cõtaminari concubitu; Quid mirum itaque si brutali quodam affectu, fratrum etiam defunctorum viduis, ad nefandas utantur libidines.

MENASSE BEN ISRAEL
(Ibid.)

An non ex hisce judices, habitasse illic locorum Judæos, à quibus Gentes istæ talia acceperint.

DISCUSSIO.

Minime. Ex instituto enim prolixiori hactenus examine omnino apparet, quam infirmis opinio hæc nitatur fundamentis. Fusius ostenderem argumentum à simili petitum (nisi exactissima morum atq; rituum convenientia

tia ostendi possit,) omnium esse leviſſimum, è dictis tamen abunde illud apparet, observandum etiam, controversiæ statum à Menasse nunc prorsus esse immutatum. Aliud enim est Judæos illic locorum habitasse; aliud verò primos in Americam veniſſe, utrumq; absurdum, prius tamen tantopere à veritate alienum non est ac posterius.

MENASSE BEN ISRAEL

(Ibid.)

Supra dictis adde & illud quod notitiam creati Mundi, ac Diluvii universalis, quam habebant Indi, Israelitis acceptam ferre debeant.

DISCUSSIO.

Plurimùm de *diluvio* sermonem Americanis tribuit Acosta, ita tamen, ut juxta illum determinari neutiquam possit, utrum diluvium de quo loquuntur, sit *universale*, cujus S. Scriptura meminit, an aliquod aliud *particulare diluvium*, seu inundatio illarum Regionum, inquibus ipsi habitabant, præsertim cum haud obscura magnæ cujusdam inundationis indicia in iisdem occurrant. Duas autem quæstiones hic manifestè confundit Menasse, quæ maximoperè sunt invicem distinguendæ (1) An Creationis & Diluvii notitiam assecuti fuerint Indi? (2) An illam debeant Israelitis? Priorem

orem facilè concedîmus. Non enim videmus cur Americani non potuerint obſcuram diluvii cujuſdam memoriam conſervare, præſertim ſi veſtigia atque ſigna etiamnum conſpicua, non ſint ejus quod tempore Noachi accidit, ſed alicujus particularis, quale id quod prodit Plato, aut Deucalionis de quo Poetæ. An ne verò conceſſa quæſtione priori, concedenda etiam poſterior: Ergò notitiam illam acceptam ferre debent Iſraelitis? Siccine enim celeberrima illa de Mundi productione & ſubſecuta per diluvium corruptione traditio, in ſola Semi & Eberi propagata fuit familia? Nonne ſalvifici hujus dogmatis ſemina, ſub ipſa quandoque Gentilium latuere zizania? Quam ſpatioſus nobis dicendi campus aperiretur, ſi Sacra Ægyptiorum penetralia, aut vaſta profanorum volumina evolvere vellemus. Indos ſolos accedamus, illorum de Mundo creato & devaſtato ſententiam exploraturi. Atque ut Americanos (de quibus nunc controverſia) prætereamus; quam exacta ſacrorum illorum dogmatum veſtigia apud SINAS reperiuntur! Primus eorum Ordo, Chaos rerum omnium initium conſtituit, è quo Spiritale ſummum (ut ipſi loquuntur,) procreaverit id quod materia conſtat. Quomodo

modo verò Chaos illud in productione rerum fuerit divisum, quales exinde derivatæ sint rerum Mundanarum qualitates, formæ item ac symbola prolixè diximus Comm. de Re Liter. Sinens. sect. IX. Sic de diluvio multa est apud Sinicos scriptores mentio: de illius verò origine causáque nulla. Ab ipso Martinio Hist. Sin. p. 3. illud non tam pro Noetico quam alio quodam Sinis peculiari (quale Ogygium olim in Attica, in Thessalia Deucalioneum,) habetur. Et tamen Sinis (ob Gentis hujus antiquitatem) non incommode Noetici memoria tribui posset. Quis verò exinde originem Sinarum inferret Israeliticam? Sed ais: Longè accuratior apud Americanos quam Sinenses Diluvii extat descriptio, quæ non nisi cum Noetico conveniat. Juxta Acostam enim tradunt diluvio illo omnes homines fuisse deletos, narrantq; è grandi lacu Titicaca prodiisse Viracocham, qui sedem fixerit in Tiaguanaco, ubi adhuc deprehendantur ruinæ & rudera antiquorum & mirabilium ædificiorum, atq; inde transiiisse ad oppidum Cusco, & ita genus humanum dentio cœpisse multiplicari. Alii narrant è quadam specu per fenestram exiliisse sex aut nescio quot homines, eosq; initium dedisse generi humano, in loco qui ob eam causam

causam ipsis Pacari Tampo dicitur. Hinc ajunt ortum Mangocapam, quem authorem & caput Ingarum agnoscunt, & ab eo duas familias ortas, unam Hanan Cuzco, alteram Urin-Cuzco. Referunt Reges Ingas, quum bellum inferrent & plures provincias subjugarent, hanc rationem attulisse, omnes gentes illis obsequium debere, quia ex suo genere & patria totus Mundus sit restitutus. Verùm hæc fabulis anilibus ita sunt inquinata, tot scatent mendaciis, ut ipse Menasse (stante sententia sua de origine Americanorum Israelitica) fidem iis adhibere minimè possit. Dum enim ad suas Terras diluvium applicant, quomodo ab Israelitis primò inhabitata fuisset America? Addo, quod Acostâ alijsque affirmantibus, omnia Americanorum monumenta, omnesq; relationes non adscendant supra quadringentos annos, vetustiores meræ sint tenebræ, è quibus nihil certi erui potest. Nec mirum: cum enim Libris destituantur, vix possibile, quadringentorum annorum rationem reddi ab ijsdem posse. Ad quartum tandem opinionis suæ fundamentum, infelici tamen pede pergit

MENASSE BEN ISRAEL

(SECT. VII.)

Quartum opinionis hujus fundamentum sit, quod fusci coloris ac imberbes sint Indi; at verò in

Novo Mundo albos, ac barbatos, invenerint, quibus nullum unquam interceßit cum Hiſpanis commercium, & quos non alios quam Iſraelitas eſſe dixeris.

Discussio.

Igitur ſpecifica Judæi differentia in albo colore & barba promiſsâ conſiſtit? Infinitæ ſic Gentium excurſiones in Americam ſtatui poſſent; Sic Carthaginenſium, ſic Norvvegorum, Germanorum, Tartarorum coloniæ (juxta nonnullos in Terras illas ductæ) confirmantur, ſi enim argumentum à colore & barba promiſſa ſufficit, unde quæſo conſtat, barbatos illos & Albos non alios præter Iſraelitas fuiſſe? Sed quot barbatæ etiam Gentes apud Americanos repertæ ſunt? Miges in Zapoteca, Scheries in Rio de la Plata, inter Braſilios Malopaques alijque barbas alunt. In novo etiam Mexico Franciſcus Vaſquets de Coronado *Barbatos* reperit. Quòd verò hactenus Hiſpani Iſraelitas illos Americanos nondum viſitaverint, cauſa eſt, quod in remotiſſima Provincia Utopiæ degant, quæ non ſecus ac Terra Auſtralis in hanc uſque diem manſit incognita. Certe Hiſpani (qui in ipſâ patriâ, Judæorum opibus tantoperè inhiant,) neutiquam peperciſſent contribulibus Americanis. Inſatiabilis enim illorum avaritia, quæ nullum in America angulum, nullum fermè ſepul

chrum

chrum reliquit intactum; integram Provinciam minimè præterijſſet. Nec ab Iſraelitarum Americanorum abſtinuiſſent commercio, illo præſertim, quo oblatam ab Indis maximam auri rerumque pretioſarum copiam, horrendis ſupplicijs olim compenſare conſueverunt.

Quæ porrò MENASSE ad exornandam ſuam Thaidem, è Scriptoribus quibuſdam Indicis affert, non minus inſulſa ſunt, quam conſequentia: Ergò Americani Iſraelitis ſuam debent originem. Nec per febrem unquam authoribus in mentem venit, Relationibus iſtis prodigioſam adeò ſententiam confirmare. Sic e Petro Simone Franciſc. narrat, Philippum quendam d' Utre Genti cuidam Americanæ bellum inferre conſtituiſſe, & emenſo itinere urbem inveniſſe, populo ac pulcherrimis ædificijs divitem, nec procul ab ea, duos Agricolas terram colentes, quos captivos abducere voluerit; Illos verò cum ſe peti animadvertiſſent, ocyſſimè urbem verſus aufugiſſe, ſed Philipo inſequente ſubſtitiſſe, lanceisque ſuis illum in pectore læſiſſe. Philippum itaq; retroceſſiſſe, gentium iſtarum dexteritatem miratum. Hinc Menaſſe (riſum teneas Lector!) verosimile eſſe ait: *Iſraelitas eſſe, quos illic loci Deus ſervet uſq; ad tempus redemptionis.* Idem Menaſſi accidit, quod bonis quibuſdam Viris, qui

dum non tam argumentorum pondere, quam numero vincere conantur, ineptissimarum quandoq; rationum colluvie, reliquas, majorem veritatis speciem habentes, reddunt suspectas. Ejusdem prorsus farinæ illa sunt, quæ ex Jo. Castillani, Caspari Bergarensis, aliorumque, cumprimis Nautarum, relationibus, profert Sect. VIII. IX. X. XI. XII. Quæ omnes in eo solum conveniunt; repertas esse in America Gentes quasdam seorsim degentes, proceræ staturæ, habitu ad ornatum compolito, egregiè barbatas, fortesq; & belligeras, qui navibus Canois navigare nescirent, quanquam cæteri Indi non alijs uterentur; A nauta etiam Batavo se accepisse tradit Menasse, repertos fuisse Indos Hispanicam Linguam callentes, albos, barbatos, benè instructos, opipare vestitos, auri & argenti divites, habitantes in urbibus muro cinctis, & incolarum plenis, nunquã ipsis cum Hispanis commercium fuisse, (unde igitur lingua Hispanica, cujus notitia ipsis modo attributa?) ac securè iter ab incolis undiquaq; versus suscipi posse. *Historiam istam* (addit Menasse,) *fortè fortuna audiebam abisto navis gubernatore Belga: unde nonnulli nostrûm, conjicientes Israelitas esse illos proposuerant remittere eum, ut ea penitus inquireret; sed cita morte decedebat anno proximè elapso; unde videtur non permittere*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [144] - 116
PUBLIC DOMAIN

tere Deum, intentiones iſtas ullum ſortiri effectum, ante dierum finem. Nimis certe vana & inepta omnia. Quis nunquam è Belgici illius nautæ relatione colligere potuiſſet, Gentem illam bene inſtructam, divité &c. nonaliam eſſe quam Iſraeliticam? fortè quia Judæi Europæi opibus pleruńq; abundant? nullam herclé aliam convenientiam deprehendere poſſum. Anne verò operæ fuiſſet pretium, propterea ad Indos illos ablegare nautam? Hocq; defuncto, nonne alius ſpartam illam, atq; ſplendidam Judæorum Amſtelodamenſium ad Iſraelitas Americanos Legationem, ſuſcipere potuiſſet? Sed fabuloſa hac ſunt κρυσφύγετα, minusque tuta Iſacidarum Indicorum latibula. Nec obſcurè etiam figmentorum fermè omnium genius communis hic deprehenditur. Et quid de intentione Menaſſis Decem Tribus deperditas inveniendi tandem ſtatuendum ſit, ipſe exponit, dum (juxta illum,) *Deus minimè permittat Intentiones iſtas ullum ſortiri effectum, ante dierum finem.* Heu! miſera itaque ISRAELIS SPES, quam Menaſſe Tract. peculiari (מקוה ישראל nuncupato,) fovere quidem conſtituit, aſt verbis illis fermè in fumum abire juſſit.

Maximoperè autem miror, Menaſſen, illud ad originem Americanorum Iſraeliticam ſtabiliendam omiſiſſe, quod antiquiſſima apud Braſilianos traditio vigeat: *Majores ſuos divinitus è Mari ſervatos;*

quod de Mari Rubro nonnulli intellexerunt, sed absq; dubio illud non ad Mare rubrum, sed particularis cujusdam diluvij memoriam referendum est, qua de paulò antea disseruimus. Afferuntur à nonnullis alia etiam argumenta, quæ tamen Menasse absq; dubio propterea quod Gentis suæ vitia prodant, sponte omisit. Videl. quod Novi Orbis Incolæ (eo quod Israelitis originē debeant,) sint naturâ timidi, superstitionibus dediti & mendaces, quemadmodum etiam, inquiunt, in Vestitu conveniunt, cum vel nudis pedibus ambulent, vel calceis utantur plantam tantummodo pedis operientibus, & duplici duntaxat vestiantur indumento, nimirum tunica & sindone, hæcq; esse talia, qualia à Samsone promissa fuerint problema suum dissolventibus, Jud. XIV. 12. 13. Sed hæc omnia ne titivillitio digna sunt, quod enim Americani timidi sint, non magis arguit eorum ab Israelitis originem, quam ab alijs ejusdem Naturæ populis. Sed nec omnes Novi Orbis incolæ stigmate illo notandi sunt; reperiuntur animo audaciores quamplurimi, quod & testatur Acosta suarum Histor. Indicarum Nat. & Moral. Lib. I. c. 23. & Hispani quandoq; prælijs vicți, & crudeli mortis genere trucidati, experti sunt. Mendacij crimen proprium esse videtur Idololatris ómnibus, magisq; originem Americanorum Cretensem, quam Israeliticam arguit. Vestitus item saris simplex & humilis magis illorum rusticitatem & imperitiam, quam originem Abrahamiticam prodit, adde & climatis æstum, propter quem pluribus indumentis neutiquam opus habent. Samson

non

non ab Israelitis sed Philistæis (ut d. l. vers. 19. narratur,) Tunicas ac Sindones abstulit, sicq; horum potius, quam illorum posteri dicendi essent Americani. Sed leviora hæc sunt, & prolixiori discussione minimè digna.

Examinatis itaque omnibus atque singulis, pro migratione Israelitarum Americana, argumentis, expedienda restat Quæstio satis ardua: QUALIA TANDEM IN LOCA DEPERDITAE ILLAE TRIBUS FUERINT TRANSLATAE? Si verò rejectis omnibus Librorum Apocryphorum fabulis, putidisq; humani ingenij figmentis, Scripturam duntaxat sequimur Canonicam, nullo ferme negotio, viam, quâ nos expedire optimè poterimus, inveniemus. Illa etenim docet apertissimè, DECEM illas TRIBUS ab Assyriorum Imp. abductas, in Regionibus haud ita longinquis hæsisse, & ipsius decreto, fixam ibidem sedem collocasse. Verba II. Reg. XVII. 6. hæc sunt: בשנת התשעית להושע לכד מלך אשור את שמרון ויגל את ישראל אשורה וישב אותם בחלח ובחבור נהר גוזן וערי מדי: h. e. *Anno Nono Hoseæ cepit Rex Assyriæ Samariam, & deportavit Israelem in Assyriam, collocavitq; eos in Chalach & in Chabor, & ad fluvium Gozan, & in Civitatibus Mediæ.* Confer. c. 18, 11. & I. Paral. 6, 26. sensus est: Abductos fuisse Israelitas in Asyriam, ut partim in provinciis remotioribus, partim in Regionibus ac Civitatibus Mediæ deinceps collocarentur, nec congregationes ullæ instituerentur. Sed loca illa paulo accuratius sunt perlustranda: חלח *Chalach* (Ptolemæo Calacine, & Calachene,) pars est Assyriæ versus Septentrionem, ad occidentem tamen aliquantum

declinans, Carduchis & Mardis (Plinii ætate Cordurnis dictis lib. VI. cap. 15.) vicina. חבור CHABOR Regio montana est, Assyriæ & Mediæ contermina. Græcum Ptolemæi exemplar exprimit ὁ χαβώρας τὸ ὄρος, *Chabaros mons*, qui aut idem est, aut parum distat à monte Chaphton, in quo Benjamin Itiner. p. 90. plusquam centum Israelitarum cœtus reperit. *Choatras*, sed perperam appellatur in Latina Bilibaldi versione, quam Moletius Geographus Venetus commẽtariis suis illustravit, quo cum cõsentit Mercator Geographus non incelebris, nisi quod transposita litera aspirata montem CHOATRAM nuncuper. גוזן GOZAN *Fluvium* eundem cum Cyro amne in Media esse, dubitari vix poterit, à Medis enim temporibus antiquissimis Gozan dictus est, postea (appellatione ut apparet Persica) Cyrus nuncupatus, ut vicinus alter Cambyses, in Cyri & Cambysis gratiam. Cum verò Textus Sacer affirmet, ad *Fluviũ Gozan* collocatos fuisse Israelitas absq; dubio capiendum est de fluvii istius ripa ad urbem *Gauzaniam*, aut ulterius etiam ad Mare Hyrcanum pertinente. Totus verò ille Tractus commodè Regio Gozanis salutari potest, quæ licet Mediæ pars, quia tamen crebris barbararũ Nationum incursionibus devastata fuit, merito in textu nostro à *Civitatibus Mediæ* (utpote cultioribus, nobilioribus, frequentioribusq;) distinguitur. Illum itaq; locum Israelitis incolendum assignavit Assyriorum Rex; eundem Ptolemæus tribuit *Caduſiis*, quos Plinius Lib. VI. c. 16. Getas nuncupat. De his itaque quæri potest; an Israelitarum sint Reliquiæ

liquiæ? Affirmat Fullerus, (Miscell. Lib. II. cap. 5.) & Caduſios dici vult quaſi קדושים ſanctos, ratione vocationis: Et Gelas Plinii à Chald. גר quod migrare eſt. Accedit quod apud Strabonen Caduſii dicantur *Advenæ*, verba ſunt: ἡ δὲ προσαρκτία ὀρεινὴ ἐστὶ τραχεῖα καὶ ψυχρὰ ΚΑΔΟΥΣΙΩΝ κατοικία, τῶν ὀρεινῶν, καὶ Ἀμαρδῶν, καὶ ταπύρων, καὶ κυρτίων καὶ ἄλλων τοιούτων οἱ ΜΕΤΑΝΑΣΤΑΙ εἰσί? *Media, pars Aquilonaris eſt Montana, & aſpera, & frigida, Caduſiorum montanorum ſedes, & Amardorum, & Tapyrorum, & Cyrtiorum, aliorumq; id genus, QVI ADVENAE ſunt.* Amardos quidem & Cyrtios ex Armenia veniſſe poſtea docet, ſed Caduſii & Tapyri unde migrarint, incertum relinquit. Hos verò advenas non eſſe patet ex vetutiſsimo ſcriptore Cteſia, qui utrosque Nino ſubjicit apud Diodor. Lib. 3. p. 64.) ἐκυρίευσε (inquit) τῆς δὲ Καδουσίων χώρας καὶ ταπύρων. *Imperavit Caduſiorum Regioni & Tapyrorum.* Fallaci deniq; Caduſiorum à קרש etymo, neutiquam eſt nitendum, tale etiam illud, quod in Feſto Avieno nuncupentur Gerri, (quaſi à גרים) *Advenæ.* Sed hæc obiter. Priori tandem Paral. c. 6. 26. loco Mediæ reperitur הרא *HARA*, quæ vox à noviſsimis Interpretibus haud incommode redditur *Montoſus*; mediterraneus etenim ille tractus Ecbatana & ulterius tendens, amœnis montibus molliter aſſurgebat. Neglecta aſpiratione Hieronymus legit *Ara*; ipſa certe Media à Græcis alio nomine Aria, & Medi Arij appellantur, Pauſ. in Corinthiacis de Media: παραγενομένη δὲ ἐς τὴν λεγομένην τότε ΑΡΙΑΝ. Τοῖς ἀνθρώποις ἔδωκε τὸ ὄνομα ΜΗΔΩΝ ἀπ' αὐτῆς.

cum in eam Regionem veniſſet, quæ tum ARIA dicebatur, incolis à ſe MEDORVM nomen dedit. Xenophon Rer. Græcar. Lib. II. Θαμυήριοι τῆς Μηδείας. ἐγγὺς καθ' ὅσιων. *Thamnerij Mediæ prope Caduſios ſunt; Conflata voce ex Aria vel Ariis &* תמין h.e. *meridie.* Doctiſſimus Bochartus Geogr. S. p. I. Lib. III. c. 14. credit Haræ nomine propriè ſignificari Mediæ partē, Septentrionem verſus, quam Arabes vocant אלגבאל *Algebal*, propter Montium continuam ſeriem. Sane הר Hebræis id ipſum eſt quod Arab. גבל Gebal mons, ſicq; eſſet Montana Regio, quod eodem recidit. Sed per Chabor fluvium & oppidum Chaboram cum Tremellio intelligere, item Nehar Gozan, Regionem Gauzanitidem nuncupare nollem, hæc enim cum ipſo fluvio neutiquam eſt confundenda. Chabor ſane provincia eſt non fluvius, ſicuti Gozan fluvius non provincia, ad cujus ripam Iſraelitæ fuerunt collocati, licet totus ille tractus à fluvio iſto Regio Gozanis dici poſſit, accuratè tamen ab eodem eſt diſtinguenda, ut paulò ante diximus. E fontibus autem illis Gozanicis magnam partem promanavit fictum illud Judæorum Flumen Sabbathicum, quod Ebræorum nonnulli (de quibus vid. Elias in Thisbi, voc. Sambation) & Moſes cum primis Gerundenſis, ipſum fluvium Gozan nuncupant, eò quod à voce גזז abripiendi ſignificationem habente, deducatur.

Sed paulo accuratiùs nunc fabulam iſtam Judaicam expendere animus eſt, præſertim cum ipſe Menaſſe ſect. XIX. non magno ſolum molimine eandem adſtruere, verum Judæi etiam communi-

ter,

ter, Utopicam & Chimericam ſuam in quibuſdam locis αὐτοκατοχίαν exinde ſtabilire conendam locis *Leutherum Strabonis* (cujus Lib. VI. meminit) appellatur. Sunt verò qui Amnem illum Sabbathicum Etur. Valaniam nuncupat *Brocardus* (Deſcript. Terræ S.Cap. II.p.9.) qui fluvius juxta eundem à monlant. tibus haud longinquis prorumpens, diſterminet Regnum Hieroſolymitanum à Principatu Antiocheno, meminit etiam Fulgoſus Lib. I. Exemplorum, c.6. & Agricola de natura eorum quæ ex terra fluunt, Lib.3.p.114. Sabbathicus autem & Sabbation juxta Eliã loc.all.dictus eſt מפכי שביתתו narrant enim Hebręi fluviũ hunc currere & magno impetu ferri: כל ימי השבוע חוץ בשבת *omnibus diebus ſeptimanæ præter Sabbathum.* Sic Plinium adverſus Joſephum tuentur omnes Rabbini; ille enim de flumine iſto verba faciens) Nat. Hiſt. Lib. 31. c.2. inquit: *In Judæa Rivus Sabbathis omnibus ſiccatur;* Hic verò Antiq. lib.7.c.24. refert, eundem ſex diebus ſiccum exhibere locum, ſeptimo vero ſemper currere; Manifeſtam hanc diſcrepantiam omnes agnoverunt. Solus fermè Menaſſe ben Iſrael, Joſepho cæteris Ebræis æquior, communem verborumiſtoruu ſenſum ita pervertit, ut Pliniano per omnia reſpondeat, ſic enim verba Joſephi reddit: *Titus Imperator inter Arcas, & Raphaneam, urbes Regis Agrippæ tranſiens, vidit fluvium mirabilem, qui ut ut rapidiſſimè feratur, quovis tamen ſeptimo die ſiccatur; eo verò elapſo, ordinarium curſum reſumit, quaſi nulli mutationi obnoxius, eundemq; ſemper ſervat ordinem. Sabbathicus verò*

à ſacro

à sacro Iudæorum festo dictus est, eò quod quietem eorum septimo etiam die imitetur. Hoc verò non est vertere sed pervertere, & contrarium prorsus authoribus sensum affingere. Magis quidem voci שבת consentanea sunt Plinii verba, cum enim illa notet cessare, quiescere, vix commode Sabbathicus juxta Josephum appellari poterit, Sabbathis enim omnibus minimè esset Sabbathicus, cum tunc (ex illius sententia) pleno alveo rapidus fluat; contra fluxum sistere & siccari (quod Plinius septima die fluvio illi tribuit) verè esset σαββατιζειν quiescere & ab opere vacare; propterea tamen aliâ prorsus Josepho mentem affingere (quod Menasse tentavit,) magna certè audacia est. Egregia hæc conciliandi esset Methodus, & opportunum compendium, si discrepantibus authorum sententiis, alterius verba prorsus pervertantur, sic nullo laborioso sacrorum locorum Conciliatore (à Menasse adornato) opus esset. Præterea anne ab omni prorsus errore absolvendus est Josephus? φιλαλήθη quidem illum cum eruditis Viris judico, qui in media luce vix sui temporis historiâ ignorare potuerit, lapsum tamen quandoque esse in obscurioribus præsertim antiquitatibus, pauci negare audent, nec quisquam sui temporis res ita consignare valet, ut ab omni prorsus errore alienus dici possit. *Isaacus Casaubonus* quidem (Exer. XV. n. 37.) suspicatus est, Josephi locum de fluvio Sabbathico jam ante Ruffinum fuisse corruptum. Quid si verò fluvius ille, juxta Josephum nomen Sabbathici non exinde acceperit, quod septimâ quâvis Luce quie-

quieſcat, ſed quod ſingulis Sabbathis inſigni quâdam mutatione gaudeat; ita ſane videtur, conjectura mea eſt, doctiorum eſto judicium. Sed cur tanto ſtudio Menaſſe Joſephum ſuum Plinio conciliare laborat, cum & hunc paulò poſt manifeſti erroris arguat, eò quod ſcripſerit: *Rivum Sabbathis omnibus ſiccari IN IVDAEA*; Sed exinde omninò apparet, tantam inter Plinianum illum & Rabbinicum fluvium eſſe diſcrepantiam, quantam inter Judæam, & remotiſsimas illas ab eâdem Regiones, ad quas flumen hocce fabuloſum à Judæis poſitum eſt. Plinio hâc in parte reſpondet Joſephus his verbis: ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Αρκείας της Αμφίππα βασιλείας καὶ Ραφανέας. h.e. *Fluit medius inter Arcena Agrippæ Regni civitatem & Raphaneam.* Si itaq; Agrippæ ditio eundem comprehendit, quomodo longinquæ (Rabbinis aſſerentibus,) à Judæa Regiones? Idem ſitus Eleuthero amni aſsignatur à Geographis, & juxta Brocardum (Deſcript. Palæſt, c. 2.) diſterminat Regnum Hieroſolymitanum à principatu Antiocheno. En, quam belle hæc cum fabulis conveniant Judaicis! quam mirifico ſaltu tanto terrarum tractu, tot altiſsimis montibus ſuperato tis, rivus iſte Sabbathicus à Mari mediterraneo ad Caſpium, è Judæa in Mediam abierit. Nec dubium eſt fluvium illum (ſi per Sabbatha licuerit,) porrò perrecturum, uſque dum ad Hyperboreos, ultra omnem Aquilonis flatum degentes, pervenerit, admirandas illas Danitarum, Nephtalitarumque reliquias, ac fabuloſa Iſraelitarum agmina quæſiturus. In India certe (juxta *Abrah. Friſol Orchot olam* cap. 26) fe-

26.)feliciter appulit, verba illius hæc sunt: מוצה נהר סבטיון בגליות האנדיאה הזאת העליונה בין נהרי גנגיס: h.e. *Origo fluvii Sabbathici i.est in Regione Indiæ superioris, inter fluvios Gangis.* Imo (juxta eundem) pervenit in Kalicout. נהר סבטיון למעלה מקליקוט מוצאו ומפסיק בין האינדיאני ההם לקצת מלכות היהודים ושם תמצאנו בוראי: h.e. *Fluvius Sabbation originem suam habet ab altera parte Kalikout, separatq; Indos à Regno Iudæorum, quem certo ibi invenies.* Satis veró exinde manifestum est, neque Plinii neque Josephi authoritate confirmari posse putidissimum illud de fluvio Sabbathico figmentum, cum nec situs respondeat, nec illi ipsi invicem conveniant. Ex impurissimis igitur lacunis Talmudico-Rabbinicis duntaxat promanavit flumen hocce Sabbathicum, putida illa scaturigine longè dignissimum. Judæi enim (locis in præfamine supra citatis) magnò molimine regnum sibi confinxêre ultra Amnem illum Sabbathicum ad portas Caspias, unde nullus unquã nuncius, nullæ literæ provenerint, quod nec viderit quispiam, nec visurus sit unquam, figmentum herclè callidum! & propterea à Rabbinis excógitatum, ne Jacobæum illud varicinium Gen. XLIX. jam impletum credatur in Salvatore nostro Christo Jesu. Eodem argumento Rabbini utuntur ad evincendum, non solis Judæis, sed omnibus gentibus imperatam esse quietem Sabbathi, sed figmentum hocce Rabbinicum & fluvium illum Sabbathicum, eo unde promanavit, relegamus.

Et ad deperditas nostras Tribus reversi, pro certo habemus, illas ab Assyriorum Rege abductas, partim

partim in Assyria partim Media permansisse, inq; locis illis (continuatis forte scelerибus) periisse. Juxta gravissimam illam comminationem Lev. XXVI. 38. ואבדתם בגוים ואכלה אתכם ארץ אויביכם: h.e. *Peribitis in ipsis gentibus, & & absumet vos terra Inimicorum vestrorum.* Quid Jesaias cap. VII. 8? *Intra sexaginta quinq; annos* יחת אפרים מעם: *Desinet Ephraim esse Populus*, ut non incommode Latinus reddit, Græcus: ἐκλείψει ἡ βασιλεία ἐφραὶμ ἀπὸ λαοῦ, ita sane futurum יחת à R. *David Kimchi* exponitur ישבר ויתבטל *confringetur & abolebitur*, quod in tristi illa Decem Tribuum deportatione, perq; Assyriam dispersione, omninò impletum est. Etsi enim illæ temporis successu demum deletæ atque exstirpatæ sint, paulatim tamen quasi ita contabuerunt, ut cum infinita profanarum gentium multitudine confusæ, velut quidam rivulus Mari vasto conjunctus, penitus tandem evanuerint. Per Ephraim autem sicuti passim, ita illo Jesaiæ loco universa Domus Israelitica est intelligenda. Terque quaterque igitur miseros Judæos! Qui fide nihilominus indubia Decem Tribuum Restitutionem, & cum duabus reliquis conjunctionem sibi promittunt. Hanc aliquot sectionibus SPEI SUÆ ISRAELITICÆ, Menasse stabilire conatur, ut eo magis in fide atque SPE Judaica conserventur fluctuantes Ebræorum Animi, non obstante insigni quodam loco Talmudico, SPEM illam ISRAELITICAM prorsus evertente. Occurrit ille Tit. Sanhedrin. פרק seu sect. X. (juxta nonnullas edit. XI.) sicque se habet: עשרת השבטים אינן עתידין לחזוק שנאמר וישליכם אל ארץ אחרת כיום הזה

הזה מה היום הולך ואינו חוזר אף הם הולכין ואינם חוזרים: h.e. *DECEM TRIBUS non revertentur, q.d.* (Deut. XXIX. 28.) *Et abjecit eos Deus in terram aliam, ſicut dies hic, Dies abit non redit: atq; etiam illi abeunt, NON REDEVNT.* Sic apud R. *Salom.* ſuper Oſeam c. III. 5. talis extat Traditio: אר שמעון בן מנסיא אין מראין סימן טוב לישראל: h. e. *dixit R. Simeon filius Manſija non oſtendetur ſignum Bonum Iſraeli.* Et Iſaacus Abarbanel cum Davide Kimchio ad c. XXXI. Jeremiæ, diſerte ſcribunt, neutiquam ſciri utrum Decem Tribus ſuperſtites ſint nec ne. Infelices nihilominus Judæi, dum Decem Tribuum deperditarum reſtitutionem credunt, ſtatuere etiam tenentur illas alicubi eſſe ſuperſtites. Contulit hac de re cum Rabbino quodam Magnus Buxtorfius, ubi ille poſt multa tandē eò devenit, ut licet ipſi hæc ignorent, Deum tamen qui per Ezechielem decem Tribuum redemptionem promiſerit, ſciturum quomodo vel unde eas velit reducere. Tantopere autem miſera hæc ISRAELIS SPES Talmudicis illis atque Rabbinicis locis turbatur, ut nec A. *Montezini* Relatio, nec *Menaſsis ben Iſrael* diſſertatio, ad eandem ſive reſtaurandam, ſive conſervandam amplius

SUFFICIAT.


Pag. 64. lin. 23. leg. Phil. it. C. XXVI. lin. 24. leg. Chriſt. pag. 68. lin. 12. l. Itali eorum. p. 82. l. 2. leg. circumcidebant. p. 83. lin. 4. l. Tribubus. ibid lin. 14. l. inferret. p. 88. lin. 1. adde voc. idem.

EMENDANDA.

Pag. 11. l. 23. leg. locum. p. l. 2. leg. circumdatos. p. 16. lin. 6. leg. אך del. ה p. 31. lin. 18. l. שכובה item l. 21 post vocem חולי adde או pag. 38. lin. 11. l. יקום lin. 12. l. יבראו lin. 17. l. אני lin. 18. l. את lin. 19. l. ורפואה item אף it. באחר pag. 39. lin. 1. leg. המחזיר lin. 15. l. תרשת תכחין lin. 16. l. בשאל item pro לרש leg. להו l. 17. leg. גופייהו it. כרקחזי lin. 18. leg. ברנש lin. 19. del. — & leg. כעיסה pag. 41. lin. 14. leg. ויתפשט lin. 16. l. אלעור lin. 17. l. בטל pag. 50. lin. 12. l. vertigini. pag. 62. lin. 17. l. unumquodq;.

EMENDANDA.


Pag. 11. l. 23. leg. locum. p. 12. l. 2. leg. circumdatos. p. 16. lin. 6. leg. דרך & del. ה p. 31. lin. 18. l. שכובה item l. 21. post vocem חולי adde או pag. 38. lin. 11. l. יקוים lin. 12. l. יבראו lin. 17. l. אני lin. 18. l. ארפא lin. 19. l. ורפואה item אף it. באחר pag. 39. lin. 1. leg. המחזור lin. 15. l. דאישת תכחין lin. 16. l. בשאל item pro לרש leg. להו lin. 17. leg. גופייהו it. כרקחזי lin. 18. leg. בברנש lin. 19. del. — & leg. כעיסה pag. 41. lin. 14. leg. ויתפשט lin. 16. l. אלעור lin. 17. l. בטל pag. 50. lin. 12. l. vertigini. pag. 62. lin. 17. l. unumquodq;.




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [159] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [160] - -
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [161] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 828 076
I 688

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [162] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [163] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 4;Leibn. Marg. 72, [164] - -